



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de
Coloniæ Agrippinæ**

Capita Libri III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916



INSTRUCTIONIS
SACERDOTVM,
DE POENITENTIA,
LIBER III.

Quid sit peccatum.

CAPVT I.

SACRAMENTVM hoc poenitentiae plurimas continet difficultates Sacerdoti cognitu necessarias : ob id librum integrum in eis enodandis collocauimus. Sunt autem suo ordine quinque tractanda, materia, forma, minister, poenitens, & huius sacramenti effectus. Et quidem materia duplex est, altera remota, altera propinqua. Vt enim in baptismo erat materia remota, scilicet aqua; & propinqua, scilicet ablutio, ita in isto est materia remota, & haec est peccatum. Est enim materia propinqua, ver. gra. contritio, confessio, satisfactio, seu peccatum contritum, confessum, & satisfactio expositum.

A remota ergo materia, doctrinae ordine, incipiamus. Ac primum omnium tractandum se offert. Quid sit peccatum. Omittis autem aliorum descriptionibus, sic videtur nobis clare, & breuiter posse describi: Peccatum, est recessus à regula diuina voluntarius. In qua descriptione quatuor continentur partes.

Prima est, *recessus*, id est, quaedam deuiatio, & separatio ab aliquo stabili principio. Peccatum enim est, non aliqua substantia, aut corpus, aut entitas positiua, sed quaedam separatio, quidam defectus. Altera pars est, *à regula*, ne intelligeremus, hanc separationem esse à loco aliquo, vel alio quouis, ob id additur separatio à regula. Vocamus regulam, principium

quod-

quoddam, cui agens suum effectum, vel operationem conformare intendit. Recessus ergo, & defectus à regula proposita peccatum dicitur. Vnde, Monstrum, peccatum naturæ dicitur, quia non conformatur regulæ naturæ, secundum quam effectus talis taliter debet esse formatus. Similiter error in imagine, vel aliquo artificio dicitur peccatum artis, quia regulæ artis non conformatur effectus. Non de his peccatis fit mentio in præsentibus, ob id additur tertia pars, *Diuina*. Per regulam autem diuinam intelligo, tam præceptum supernaturale, vt præceptum de fide habenda, de suscipiendis sacramentis, de adoratione, & alijs huiusmodi, quam naturale, vt præcepta Decalogi, & humanum, vt præcepta Prelatorum, & superiorum. Omnia enim diuina dici possunt, quatenus à Deo sunt, siue mediatè, siue immediatè: natura enim à Deo est potestas humana, & Ecclesiastica per Deum est. Ista præcepta dirigunt, & regulant operationes humanas in finem. Recessus ergo à tali regula, peccatum est, non tamen quicumque recessus; ob id additur quarta particula, *voluntarius*. Vt aliquid dicatur voluntarium, tria sunt necessaria.

Alterum est, vt à voluntate procedat, siue quoniam in ipsa voluntate est velle, & nolle, siue quia à voluntate imperatur: omnis enim operatio, etiam exterior, quæ nobis voluntibus fit, voluntaria dicitur. Vnde vesci, voluntarium est, cum volentes vescimur: similiter ambulare, occidere actualiter, & similia. Vt ergo sit peccatum, debet esse recessus voluntatis, siue à voluntate procedens. Vnde, regula generalis sit: Quicquid in nobis fit, quod nec in voluntate est, nec à nostra voluntate est, peccatum non est. Vnde quantumcumque occurrant imaginationes turpes, & contra fidem cogitationes, motus etiam carnis, vsque ad effusionem seminis procedentes, nisi volūtas acceptet, aut consentiat, peccatum non est.

Alterum est necessarium, vt aliquid dicatur voluntarium, putà, quod sit ex deliberatione procedens, liberum, id est, quod in nostra sit potestate, vt sit, vel non sit, vt quamuis sit actus voluntatis, si tamen necessarius est, ita vt non sit in nostra potestate non velle, tunc non dicitur voluntarius. Ex quo fit, quod cum ex aliqua vehementi passione accidit, vt in voluntate insurgat volitio vindictæ, aut alicuius mali, si talis est, vt non sit pro tunc in nostra potestate, non velle, non sit peccatum, donec iam induat rationem voluntatis, & in manu nostra sit prorsus expellere talem volitionem. Dico autem prorsus, quia

aliquando aliqua ex parte est in manu nostra, licet non totaliter. Et tunc grauius, vel leuius peccatum est, quo magis, vel minus est voluntarius actus, vel recessus. Vide igitur quid peccatum sit: est enim recessus voluntarius à diuino præcepto, cui conformare tenemur vitam, & operationes nostras. Tertium est, si homo sciat, vel scire teneatur se agere contra regulam, unde ignorantia efficit inuoluntarium, & excusat à peccato, quando non est crassa.

De peccatorum differentijs in communi.

CAPVT II.

Aliquot peccatorum diuisiones, si non omnes, saltem quæ ad nostrum faciunt institutum, prosequi oportet. Et primo, peccatum diuiditur in mortale ex genere suo, & veniale ex genere suo. Pro quo notandum est, quod bifariam contingit à regula diuina recedere: Vno modo agendo contra ipsam regulam: altero, non agendo secundum regulam, sed præter eam. Ab vna enim via recedere possumus, aut contrariam sequendo viam, aut diuersam. Ille agit contra præceptum, qui oppositum præcepti facit; ille verò præter, qui aliquid facit, quod licet non sit contra præceptum, non tamen tendit in finem præcepti, qui Deus est: ver. gra. qui occidit, agit contra præceptum, *Non occides*: qui verbum otiosum, aut mendacium iocosum dicit, non omnino contra præceptum facit, tamen facit aliquid, quod in Deum non est ordinatum. Id totum, quod contra præceptum est, dicitur mortale ex genere suo, quia ex se inductiuum est mortis spiritualis, quæ est ablatio gratiæ, si esset. Id verò quod est extra præceptum, veniale ex genere suo dicitur: peccatum quidem est, quia est recessus à regula, sed ex se gratiæ ablatiuum non est: Deus enim gloriofus non obligauit omnes actiones nostras sub præcepto, sed quasdam alias multas reliquit; sed nos debemus eas secundum nostrum finem exequi, quod non facientes, peccamus venialiter. Notandum tamen est, quod non omne mortale ex genere vere est mortale, id est, auferre gratiam sufficiens est: sicut etiam non omne veniale ex genere, verè est veniale; nam gratiam auferre sufficit aliquando. Explico primum; Mortale ex genere duplici ex causa non est vere mortale, sed sit veniale per accidens.

Prima est, ex leuitate materia: vnde furari, ex genere mortale est, tamen furari quid minimi valoris, non est mortale, nisi sit maior quantitas materia.

Altera causa est ex actus imperfectione, quando non perfecte deliberatus, & voluntarius, licet aliquid sit voluntarium, vt in subito motu volendi vindictam, vel aliquid malum committendi contra præceptum, cum non adest plena libertatis potestas: si tamen aliqua sit, quia intercedit mora aliqua breuis, vnde aliqua negligentia est, licet non notabilis, tunc est veniale. Si tamen plena esset potestas, esset mortale. Explicet secundum: Multis enim casibus, quod ex genere suo est veniale, potest per accidens fieri mortale.

Primò, si vltimus finis in veniali constituitur, quod si quis ita actum venialem exequitur, quod paratus est, etiam si mortalis esset, exequi, tunc mortale est, licet sit verbum otiosum, vel vanum.

Secundò, cum ordinatur in peccatum mortale ratione finis, fit tunc mortale: vt qui mendacium dicit leue propter adulterium, mortaliter peccat.

Tertio, quando sequitur aliquod peccatum mortale, de quo constat, licet non ordinetur in ipsum, vt si quis sciens scandalum graue sequi, si mendacium leue dicat, & dicit, mortaliter peccat.

Quartò, si est conscientia erronea. Qui enim putat se peccare mortaliter in verbo otioso, si id proferat, mortaliter peccat: iam enim iste animus habet peccandi mortaliter, licet ille actus non erat verè peccatum mortale, Non solum hoc fit in actu veniali, sed etiam in actu bono. Si quis enim putaret se peccare mortaliter, audiendo sacrum in die festo, mortaliter peccat, si audiat: etiam mortaliter peccat, si non audiat: nam tenetur deponere conscientiam erroneam, & scire non esse peccatum, sed præceptum. His igitur causis veniale ex genere fit mortale per accidens.

Iterum diuiditur peccatum in communi in peccatum omissionis, & commissionis.

Præcepta enim hominibus imposita quædam sunt affirmatiua, ipsos ad operandum obligantia, vt præceptum de diligendo Deum, & proximum, sacroq; audiendo, & alia huiusmodi: quædam sunt ab aliquo actu retrahentia, & prohibentia, vt, non occides, non machaberis, & alia multa. Cum peccatum est contra negatiuum præceptum, commissio est: cum vero

contra affirmatiuum, aliquando omiffio, aliquando commiffio est. Omiffio est, cum non operamur, quod præceptum in iunxit, vt, non diligendo Deum, cum tenemur: commiffio, cum actum contrarium habemus, vt si quis Deum odio habeat. Vt plurimum tamen affirmatiuorum præceptorum sunt omiffiones. In venialibus etiam aliquando est commiffio, aliquando omiffio. Commiffio, cum actus reperitur inordinatus extra diuinum præceptum, vt mentiri iocosè, otiofum verbum dicere. Omiffio, cum operationis conuenientis defectus est, vt, aliquibus diuinis inspiratio nibus non respondere, nec operari aliquod bonum, cum possit quis operari, licet nõ obligetur ex præcepto. Attendere autem hic oportet, quod aliquando in peccato omiffionis est aliquis actus voluntatis, qui fertur in ipsam omiffionem; vt qui nollet audire sacrum die festo. Aliquando est actus voluntatis, qui fertur in id, vnde sequitur omiffio, vt qui voluit tota die dormire, vnde sequitur, vt sacrum non audiat. Aliquando nullus reperitur actus talis, vt qui oblato tempore confessionis, ad quam tenetur, profus non vellet confiteri, nec nollet, sed relinqueret. Sæpe tamen omiffio cum aliquo actu est; siue tamen sit, siue non sit, nisi aliunde ignorantia, vel alia causa excuset, peccatum est.

Tertiò, diuiditur peccatum, in peccatum cordis, & peccatum oris, & peccatum operis. Non est ista distinctio variorum peccatorum, quasi vnum peccatum sit cordis, aliud oris, sed vnum est peccatum varios habens augmenti gradus.

Primò enim peccatum committitur, cum est voluntatis deliberatæ consensus, vt qui vult hominem occidere, committit peccatum, sed aggrauatur, cum ad opus peruenit. Similiter, qui verbo maledicit, prius in voluntate peccat, post in verbo peccatum auget. Aliquando sunt peccata diuersa ista tria, cum diuersorum peccatorum materiæ sumuntur, vt maledicentia, quæ in verbo consistit, superbia interius concepta in corde, & homicidium in opere, sunt quidem tria peccata diuersa, sed cum eadem est materia, tunc vnum peccatum est, sed plures augmenti gradus. Hæc distinctiones peccatorum sufficiant: quamuis enim aliæ sint multæ, tamen ad propositum præsens non attinent, ob id relinquuntur.

De partibus essentialibus peccatorum, & effectibus.

CAPVT III.

Sicut in re artificiali duas partes consideramus, & materiam, & formam: ver. gra. in domo, lapides, & ligna locum obtinent materiae, at dispositio, & constructio eorum locum tenent formae. ita in peccato etiam suo modo duo insunt, vnum est velut materia, alterum est velut forma. Materia est actus & operatio ipsa, quae reperitur commissionis. Sed effectus ipsius operationis reperitur in peccato omissionis: verbi gratia, occisio hominis est materia in peccato commissionis non audire sacrum est materia in peccato omissionis contra praecipuum Ecclesiae; recessus vero a regula diuina, siue contra faciendum, siue extra, est forma: propterea enim occultum est peccatum, quia contra diuinum praecipuum est. Similiter non audire sacrum, ob id peccatum est, quia contra praecipuum est. Forma ergo peccati non est quid posituum, sed solum carentia rectitudinis, & conformitatis ad regulam.

In ista deordinatione, seu carentia rectitudinis, praecipuum cum peccatum est mortale, duo considerantur, & auersio à Deo, & conuersio ad creaturam: qui enim peccat, regulam Dei spernit, ob id à Deo auertit se, & affectus aliquo apparenti bono peccat, ob id conuerti dicitur ad bonum creaturam. Vnde in omni peccato mortali, homo propter creaturam relinquit Deum, & dicitur auerti à bono incommutabili, scilicet Deo, & conuerti ad bonum commutabile, scilicet creaturam, ob idque peccatum grauissima est Deo illata iniuria ab homine. Quamuis autem in veniali aliquo modo ista sint, sed imperfecte valde, non enim Deum integrè relinquit, ob id non destruit gratiam, nec incurrit homo poenam propter veniale, quam incurrit ob mortale.

Cuius effectus duo sunt praecipui, macula, & reatus. Macula est priuatio gratiae, quae pulchritudo est animae, & ornamentum. Reatus est obligatio ad poenam aeternam, quae peccato debetur. Est autem duplex, iuxta duas peccati partes: ratione enim auersionis huiusmodi debetur poena damni, quae est, non videre Deum in aeternum. Qui enim auertit se à Deo, iuxta Dei visionem priuatur. Ratione vero conuersionis ad creaturam,

ram, debetur poena sensus: iuste enim à creatura torquetur, qui propter ipsam auctorem Deum relinquit. Vtraque autem poena aeterna est, quia peccatum est perfectæ auersionis, & conuersionis. In veniali etiam ista duplex est poena, at non perfecta, sed temporalis: ad tempus enim non videt Deum in purgatorio, & ibidem torquetur. Sed in veniali non est macula proprie, quia non expellit gratiam, sed feruorem charitatis, & deuotionem aliqua ex parte extinguit, & in frigidat. Post actum igitur peccati, stabilis manet reatus, & macula, nisi poenitentia deleantur. Hæc sunt igitur peccati partes, & effectus. Oportet autem hic notare, quod peccata omnia, siue mortalia, siue venialia, materia sunt sacramenti huius poenitentiae, sed non eodem modo. Mortalia etenim sunt necessitatis materia, id est, non possunt alio modo deleri, nisi per poenitentiae sacramentum, saltem in voto susceptum, cum non potest in re suscipi. At venialia, sunt quidem materia confessionis, vnde quis cum solo veniali potest recipere sacramentum poenitentiae, Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. tamen non sunt necessaria materia, quoniam homo non tenetur confiteri, si tantum veniale habeat, quamuis sit tempus Quadragesimæ, sed debet sumere Sacramentum Eucharistiæ, nisi sequatur scandalum aliquod. Tunc enim deberet accedere ad confessionem, saltem vt diceret se non habere conscientiam peccati mortalis vllius. Aliqui tenent esse necessariam materiam in tempore præcepti, sed probabilius est oppositum: nam præceptum confessionis tantum est de mortalibus. ita D. Thom. 3. p. q. 84. art. 2. Scot. in 4. d. 17. q. 11. Dur. ibid. q. 9. Quando verò esset dubium de veniali, an esset mortale, tunc necessaria esset materia. Quamuis hoc ita sit, tamen maxime accedere quis debet confessioni, cum solo etiam veniali, saltem propter gratiam, quæ in ipso sacramento datur, & per actum humilitatis, qui exercetur. Veniale autem potest, præter poenitentiam, alijs vijs remitti, scilicet oratione dominica, aqua benedicta, peccatoris iunxione, benedictione Episcopali, feruenti charitatis actu. Hæc igitur est materia huius Sacramenti remota, scilicet peccatum.

Quid sit contritio, quid attritio.

CAPVT IV.

Sicut in baptismo duplex erat materia, remota, scilicet aqua ipsa, & propinqua, scilicet ablutio, quæ aqua fit: ita in hoc sacramento, materia remota peccatum est, propinqua verò est contritio, confessio, satisfactio. Itaq; peccatum contritum, confessum, satisfactum, est materia propinqua confessionis. Primum igitur de contritione agamus. Videtur autem posse sic describi: *Contritio est, præteriti peccati, ut est Dei offensæ voluntaria supra omnia detestatio, cum proposito futura supra omnia vitandi, & commissæ confitendi.* In qua descriptione sex sunt partes.

Prima est, *præteriti peccati detestatio.* Peccatum detestari, ad actum voluntatis pertinet, quæ ex peccati commissi consideratione in hunc actum prorumpit, nollens peccasse, & illiusque actus est detestatio peccati elicitus à virtute penitentia.

Secunda pars est, *ut est Dei offensæ:* non sufficit nolle peccasse, quia peccatum malum aliquid secum fert, sed hæc ratio, quia offensæ Dei est.

Tertia pars, *supra omnia.* Ut homo habeat contritionem, debet detestari peccatum sic, ut potius velit quodcumq; malum subijisse, quàm peccasse, nihilq; magis debet abhorre, quàm Deum offendisse, & hoc est detestari peccatum supra omnia, seu supra omne detestabile, ut alij dicunt. Nec opus est in particulari facere istas collationes: mallet hoc, vel illud subijcere, quàm peccasse: sunt enim periculosa, & aliquando posse committere non hominem his illaqueare: si tamen homo eas facit, peccata sunt. Non tamen debet quiuis se his periculis exponere: sufficit enim in generali ita detestari, ut nihil magis detestetur, quàm Dei offensam, vel itque non offendisse, potius autem subijcere quodcumq; malum.

Quarta pars est, *voluntaria,* id est, spontanea. Non enim contritio debet esse actus necessitatis, sed spontaneus, & liber, qui in nostra sit potestate,posito tamen auxilio diuino.

Quinta pars est, *cum proposito vitandi futuri supra omnia,* id est, proponere debet, in posterum se non offensurum Deum, potius passurum quodcumque malum, etiam mortem: quamuis etiam hoc in generali sufficit. Non debet autem quis, suo in an-

trans robore, hoc proponere, sed semper sperans in diuino fauore, quo possumus proponere talem emendationem vitæ, & hoc propositum debet esse expressum. Et hoc est probabilius, Alens. 4. p. q. 69. m. 9. art. 2. S. Thom. 3. p. q. 90. art. 4. quamuis aliqui dicant sufficere primum actum; sed quod diximus, securius est. Et ita habet Concilium Florentinum.

Hactenus erat contritionis descriptio, quæ erat ante legem gratiæ, quia tunc propositum confitendi non erat necessarium, vt modo est.

Sexta particula, *propositum confitendi*, quamuis sufficeret hoc propositum virtuale, Sot. in 4. d. 17. q. 2. art. 1. Hæc igitur est natura contritionis. Vnde sequitur, quod contritio non est dolor, aut tristitia, sed actus, cuius comes est dolor, & tristitia. Essentialiter enim contritio est actus, quo homo nollet peccare, quatenus peccatum est Dei offensa; at intellectu considerans non posse non esse factum, peccatum apprehendit vt malum, quod vitare non potest. Et hinc sequitur tristitia in voluntate, quæ mouet etiam sensum, fitq; tristitia in sensu, vnde prorumpit in lachrymas, & gemitus: ex apprehensione enim mali, quod vitari non potest: tristitia sequitur. Ista tamen quæuis sequantur ex contritione, & bona sint, non contritio, sed contritionis effectus sunt. Dicitur autem per metaphoram contritio: est enim proprie actus, quo corpus aliquod durum in minutas diuiditur partes, fitq; nullius resistentiæ, quod antea multum resistebat: sic hominis cor, quod per peccatū obduratum erat, resistensq; motioni ad bonum, emollescit per poenitentiam, fitq; diuinæ obediens voluntati. Potest etiam contritio dici ab effectu, quia causa est doloris, tristitiæ, actuq; poenitentiam, qui naturam sensitiuam consumunt, & conterunt. Aduertendum tamen est, quoties aliqua pars ex prædictis deest, tunc non contritio, sed quædam alia imperfecta species fit, quæ attritio dicitur, quasi imperfecta contritio: quæ maxime modis his contingere potest.

Primo ex parte obiecti, quando detestatur peccatum cum reliquis conditionibus, sed non quia offensa, verum aut quia est quoddam malum animam foedans, & deturpans, faciensque feruam diaboli, aut quia ei debetur poena æterna, aut quia ex eo sequitur malum aliquod temporale; quacumq; ratione harum detestatur peccatum, attritio est.

Secundo contingit ex parte modi, cum quis detestatur peccatum, vt Dei quædam offensa est, sed non detestatur supra

omne detestabile: non enim verè mallet quodcumq; malum subijisse, quàm peccasse: talis enim detestatio, attritio est.

Tertio modo potest contingere, quando quis detestatur peccatum supra omnia, vt Dei est offensa, non tamen habet propositum firmum vitandi omne futurum: & talis detestatio attritio est.

Quarto modo potest contingere, cum quis desiderat habere contritionem de peccato, & detestari supra omnia, quamuis verè non habeat ipsam contritionem. His quatuor modis contingit attritio.

Est autem grandis differentia inter omnes has attritiones, & contritiones.

Contritio enim per se, absque sacramento suscepto in re, sed tantum in voto, est causa remissionis peccati mortalis, & gratiæ conseruationis: & si statim moriatur homo, causa est salutis æternæ. At verò attritio nulla per se est sufficiens causa remissionis peccati mortalis; quamuis sit cum voto sacramenti: immò qui in peccato existens, cum sola recederet attritione absq; sacramento, damnaretur.

Est etiam alia differentia.

Contritio sufficit, vt quis accedat sacramento penitentiæ, & impleat præceptum ipsius, & consequatur etiam effectum eiusdem: Contritio enim, seu habenti iam per contritionem gratiam, sacramentum hoc dat gratiam maiorem: & qui sic accedit, verè implet præceptum confitendi, si tempus est præcepti. At verò non omnis attritio sufficit ad consequendum effectum huius sacramenti: immò, si sic accederet, peccaret: quamuis aliqua attritio sufficiens sit, quòd per illas quatuor discurrètio explico.

Prima quidem attritio, si talis sit, vt cognoscat peccatum, se non detestari peccatum, vt est Dei offensa, sed tantum vt est alicuius mali temporalis causa, quamuis bonus actus iste sit, tamen non sufficit ad sacramentum; immò qui sic accederet, peccaret denuò, & non impleret præceptum, sed esset repetendum sacramentum. Aliquando quoq; talis attritio etiam secundum se mala esset, quòd quis peccatum detestaretur propter malum, vt vltimum finem: cum autem talis est, quòd non detestaretur, nisi esset propter malum, tamen actus in alius est: at absolutè detestari peccatum propter malum illatum, bonus actus est, sed, vt diximus, insufficiens.

Secunda attritio illa indiget distinctione. Aut enim peccatum

uens cognoscit se non detestari peccatum supra omne detestabile, at tunc talis est insufficientis sicut prior; aut non cognoscit id, quamvis verè non sit supra omne detestabile, tunc talis attritio putata contritio dicitur, & sufficit, vt præceptum quis impleat, & gratiam ex ipso consequatur.

Tertia attritio non est sufficiens, immò peccaret, qui sic accederet, nec impleret præceptum.

Quarta sufficeret ad gratiam in sacramento recipiendam, si poenitenti non constaret, se non esse verè contritum: cum verò constat, insufficientis est, quia cum sibi constat non esse verè contritum, debet prius verè conteri, vt aliqui dicunt, quãuis opposita sententia sit probabilior, vt infra cap. 10. rursus dicam. Vnde Confessores maximè debent considerare, qualiter poenitentes admittant ad cõfessionem: non enim sunt admittendi, nisi qui peccata detestantur, vt offensa Dei sunt, & propositum habent non peccandi in posterum, etsi non sunt examinandi, an supra omne malum detestentur, sed ne aliquid magis detestentur. Vnde ante confessionem mihi videntur de tali dispositione fore interrogandos.

De quibusdam dubijs circa contritionem.

CAPVT V.

Aliquot dubia circa contritionem possunt alicui occurrere.

Primum est, quorum peccatorum sit habenda contritio. Ad quod respondeo, non esse necessariam venialium: hæc enim diximus absq; contritione remitti posse, sed mortalium commissorum est necessaria, adeò quòd sine contritione extra sacramentum non possunt remitti. Non autem est necessaria omnium peccatorum, sed eorum tantum, quæ contritione alia remissa non sunt: quorum enim homo putat se habuisse contritionem, & confessionem, non est necessaria contritio noua. Quòd si quis de talibus de nouo conteratur, benè facit. Tamen aliquot sunt peccata, quorum melius est non repetere memoriam, postquam semel contrita sunt, qualia sunt, quæ secum delectationem afferunt aliquam: potest enim eorum memoria plus obesse, quàm prodesse, nisi esset homo perfectus, & multæ mortificationis.

Alterum dubium est, an singulorum mortalium commis-

forum sit necessaria particularis contritio. Ad quod aliter, quamuis aliter dicunt, probabilius tamen cum alijs respondeo, non esse necessarias contritiones singulorum peccatorum, sed satis esse vnam generalem omnium, siue fiat, cum homo incipit singula peccata sua cogitare, siue cum in medio est cogitationis, siue in fine. Si enim singulorum contritiones in particulari essent necessariae, non posset homo consequi gratiam, & poenitere quocumque momento, sed opus esset longo tempore. Sufficit ergo generalis detestatio peccatorum supra omnia. Per hoc tamen non tollitur eorum peccatorum in particulari discussio, quae necessaria est ad confessionem. Et quamuis non esset confessio, sicut non erat ante legem gratiae, esset tamen necessaria ista discussio, licet non tam minutata, sed saltem quantum ad species peccatorum, ad vitam emendationem, quamuis ad gratiae consecutionem saltem sufficeret praedicta generalis contritio, quae post cadit in particulari quodlibet, cum confessio fit, vel cum homo in particulari se examinare tenetur.

Tertium dubium occurrit, an homo statim post peccatum teneatur de ipso conteri: & quamuis aliqui dicunt, quod tenetur quoties practice subit in memoriã, id est, cum recordatur eius, tanquam alicuius, quod operandum proponitur, probabilius dico cum alijs, quod non teneatur statim, etiam si recorderetur lapsus commissi peccati. Solum enim tenetur tunc non in ipso co[m]placere, tamen non tenetur poenitere, sed potest mente alio diuertere. Est enim generaliter verum, vt quoties quis non tenetur confiteri, aut aliquis extra statum praecipue facere, non tenetur co[m]teri; cum tamen est tempus periculi, tunc co[m]teri tenetur, vt in infirmitate acuta, vel cum est periculum naufragii, aut belli, aut similis, non existente copia Confessoris, co[m]teri tenetur. Similiter in casu, quo administrare debet sacramentum, vel recipere, tunc co[m]teri tenetur, maxime in administratione; aliter non statim tenetur, nisi solum a peccato desistere. Puto etiam, cum aliqua gradis tentatio paratur, cui existere in peccato probabile est succumbere, tunc teneri saltem de admisso co[m]teri peccato.

Quartum dubium est, quantus dolor esse debeat de peccato commisso, vt remittatur, seu vt vera sit contritio. Ad quod respondeo, solum esse necessariam peccati detestationem, supra detestabile omne, vt diximus; quae, si sit, peccati delectatio, quamuis non sit tam intensa, quam potest esse detestatio alicuius mali temporalis. Non enim est determinata intentio actus

necessa

necessaria: imò contritio vna vel remissa, potest delere quodcumque peccatum, quamuis grauissimum: nec homo tenetur magis conteri de peccato vno, quàm de alio, dummodò conteratur: quamuis sit vtile magis conteri, & de peccato grauiori plus dolere: hoc enim valet ad pœnæ maioris remissionem, & maioris etiam gratiæ consequutionem. Nam contritio non auferit totam pœnam debitam peccato: ob id, sunt indulgentiæ, quæ in remissionem pœnæ temporalis debitæ in purgatorio adhibentur. Posset tamen tanta esse contritio, vt etiam totam auferat pœnam; immò ipsa attritio putata contritio, prout maior, vel minor fuerit, ita cum Sacramento maiorem gratiæ infusionem, atque pœnæ remissionem consequitur. Ratio autem, quare quælibet contritio quodlibet peccatum auferit, est, quia cum contritio est, gratia ipsa est. Minimus autem gratiæ gradus sufficit omnia peccata à recipiente expellere, ipsumque Dei amicum facere, iusque ad gloriam æternam habere.

Quid sit Confessio.

CAPVT VI.

DE prima parte materiæ huius Sacramenti propinqua, nempe de contritione, diximus, nunc de secunda parte puta, confessione, agendum est. Videtur autem sic describi posse. *Confessio est actus homini exterior, propriorum peccatorum cum sui accusatione, in foro spirituali, & secreto manifestatio.* In qua descriptione sunt quinque partes.

Prima est, *Actus hominis exterior*: ad denotandum, quòd, cum homo nullum exteriorem actum, vel verbo, vel nutu facit, vel alio modo, sed immobilis manet, non confitetur, & sic absolutio non est illi danda, quia deficit materia sensibilis in Sacramento necessaria.

Secunda pars est, *Manifestatio peccatorum*. Non enim quilibet actus exterior confessio est, sed ille, quo homo peccata manifestat. Aduertendum tamen, quòd multis modis potest contingere, actum exteriorem peccatorum esse manifestatum.

Primò, per verbum ipsius pœnitentis, aut contentis, & ad alium actum tenetur qui potest: debet enim verbo proprio extere peccata.

Secundò, signo, cum non potest verbo: tenetur enim signo, vel nutu confiteri, vt in mutis cõtingit. Tenetur enim tali modo confiteri, & vera est confessio.

Tertiò potest esse per interpretem, cum ignarus est lingua Confessor. Et talis est vera confessio, præsente pœnitente, & signo annuente, vt poterit, se velle significare, quæ dicit interpretes. Quamuis autem ista vera sit confessio, tamen nullus obligatur ad sic confitendum: non enim tenetur reuelare alieni suam confessionem.

Quartò, potest esse scripto, vt scribat, & Confessor legat, annuente pœnitente; quod in muto, aut alio impedito potest contingere: & est vera confessio; quamuis ad hanc nec tenetur pœnitens, quia ex se est publica. Nam quod scripto mandatur, ex se permanens est. Per nuncium verò, aut per literas, absente pœnitente, confessio non est: non est enim verè obiectus pœnitentis certus: potest enim intermedio tempore animum mutare, potest esse fraus, potest abijisse: denique, non est pœnitentiæ propinqua materia, quæ actus est pœnitentis. Debet igitur esse actus præsens ipsius pœnitentis, animum, vt tunc se habet, manifestans.

Tertia pars est, *Proprium*, vt intelligant pœnitentes, in confessione peccata propria manifestanda esse, non autem aliorum. In quo abusus est multorum: vt enim aliquod detegant peccatum, simul multa impertinentia narrant peccata, vt uxoris, vxores virorum, domini seruatorum, & serui dominorum, alij denique aliorum. Non sic debet esse confessio, sed propriorum peccatorum manifestatiua sit, & aliena relinquat, cum absque illis confiteri potest.

Quarta pars est, *Cum sui accusazione*. Non enim simplex per modum historiæ debet esse peccatorum manifestatio, sed cum accusazione sui, id est, vt homo culpam suam in illis peccatis recognoscat. Vnde mirabilis est abusus peccata contemneri, sed excusando, imputando culpam daemoni, vel sorti alicui, vel socijs, vel Deo, necessitatem peccati accusantes; quod impium est; cum sit certissimum, nullum esse peccatum, quod propria hominis voluntate non sit perpetratum. Debet igitur homo humiliter culpam suam cognoscere, & sibi imputare, ac dicere cum Propheta Dauid simpliciter, *peccati*, cum a Nathan argueretur. Reprehendus est etiam abusus eorum, qui, vt vnum proferant peccatum, impertinentem historiam, & prolixam enarrant, vel inutilia multiplicat verba, quæ

omni.

omnia, si finis consideretur, in excusationem peccati tendunt, cum tamen peccata nuda, & aperta sint proferenda, aliàs non est cum vera accusatione confessio, sed cum rethorica excusatione. Quando verò ad peccati manifestationem perfectam opus esset historiam narrare, bonum est, & fieri debet, sed solum quæ necessaria sunt ad talem finem debent exprimi. Quòd si oppositum fiat horum, ob id confessio suum non perdit valorem.

Quintò pars est, *in foro spirituali, & secreto*. Dico, *spirituali*, ad excludendas confessiones, quæ fiunt coram iudicibus, siue sæcularibus, siue Ecclesiasticis: non enim tales sunt materiae huius Sacramenti. Dico, *secreto*, ad ad excludendam confessionem spiritualem, quæ fit publicè, vt in Missa fit non enim illa est pars Sacramenti. Vnde Sacerdos maximè aduertat, cum aliqui communicare volunt, & vt moris est, confessionem generalem præmittunt, ne det absolutionem, dicendo, *Ego te absoluo*; esset enim sacrilegium, quia talis confessio non est pars huius Sacramenti: dicat tamen verba deprecatoria, id est, *Miserere tui: Indulgentiam, &c.* Confessio enim, quæ Sacramenti est pars, est manifestatio, quæ fit ex se secreto, & in occulto Confessori. Est igitur confessio actus hominis exterior, priorum peccatorum, cum sui accusatione, in spirituali, & secreto foro manifestatio.

Qualis debet esse Confessio.

CAPVT VII.

Multas condiciones bonæ confessionis Doctores assignant. Sexdecim enim multiplicant, quas profectò recensere inutile est. Maior enim illarum pars necessaria non est, ob id non sunt hominum mentes obruendæ. Attingam necessarias. Nam alias partim in definitione antecedenti dixi, partim etiam suo ordine dicemus. Condiciones, seu qualitates confessionis necessariae, sine quibus, aut omnibus, aut vna earum confessio non est, sunt quatuor, integra, diligens, fidelis, & obediens.

Debet primum esse integra quantum ad aliqua.

Primo, vt peccata ita exprimantur, vt Confessor intelligere possit grauitatem: oppositum enim, potius est celare, & occultare peccata.

Secun-

Secundò, vt numerum exprimat peccatorum, quantum be-
ri possit: non enim sat est dicere, multoties hoc commisi, nisi
dicat, quoties. Quòd si præcisè non recorderetur, dicat plus, mi-
nusve numerum, vt recorderetur. Quòd si peccatum est nimis
frequens, dicat saltem tempus, vt, quod per annum habet in
consuetudine blasphemare, vel falso iurare, vel se polluere. Et
si etiam est in statu peccandi, sufficit exprimere tempus, vt di-
cere, si meretrix est, se per duos, aut per tres annos fuisse expo-
sitam cuiuscumq; accedenti. Aduertendum autem hic est, quod,
cum cõfiteretur quis peccatum, non est opus exprimere omnes
actus, qui illud comitantur, vt qui cõfiteretur actum venereum,
non est opus confiteri amplexus, & tactus similes, qui actum
mortaliter comitantur: &, qui occidit, non est opus confiteri,
quòd gladium præparauit, vel inquisiuerit inimicum: sat est
præcipuum actuum confiteri, nisi aliquis actus insolitus fuerit
annexus. Huic annectendum puto cum Marfi. 4. q. 12. Gabr. d.
19. & Maio. quòd tenetur dicere tempus continuationis vniuersi
peccati, vt qui per mensem integrum, fuit cum voluntate oc-
cidendi, tenetur tempus dicere: nam virtualiter est numerus, &
multitudo peccatorum.

Tertiò, qui dubius est de aliquo, an sit mortale, debet confi-
teri, alias confessio non est integra.

Tandem quartò, confessio debet esse integra, vt non solum
pœnitens exprimat peccata, sed etiam peccatorum circumstan-
tias. Circumstantiæ dicuntur, quæ non pertinent ad actus
peccati substantiam, sed ipsam comitantur, qualia sunt con-
tenta in hoc versiculo.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Præcipuæ circumstantiæ sunt finis, propter quem peccatur,
tempus, locus, in quibus peccatur, & persona peccans, vel cum
qua peccatur. Non tamen necesse est semper confiteri has cir-
cumstantias, nisi in quibusdam casibus notandis.

Primus est, quando circumstantia facit actum peccatū mor-
tale, quod alias erat veniale: vt. g. qui dicit mendaciū in oculum
vt alter occidatur, vel ob fornicationem, tenetur confiteri hunc
finem: nam propter eum sit peccatum mortale, quod, sine il-
lo, veniale tantū erat. Rursus, qui furatur aliquid paruæ quan-
tatis, vt socium faciat blasphemare, est etiam obligatus ea-
dem ratione confiteri circumstantiam. Similiter qui fecit, ali-
quid, quod ex se non est mortale, putabat tamen, cum fecit, esse
se peccatum mortale, tenetur illam circumstantiam confiteri,

quæ

quæ ad personam pertinet. Secundus casus est, cum circumstantia mutat speciem peccati, ita ut ex unius speciei, mortale faciat alterius speciei, tunc tenetur confiteri: verbigratia, qui furatur in ecclesia, tenetur dicere locum: nam extra ecclesiam est simplex furtum, in ecclesia est sacrilegium. Similiter, qui fornicatur in ecclesia, vel sanguinem fundit. His tribus casibus locus est manifestandus. Similiter, qui fornicatur cum coniugata, tenetur dicere circumstantiam personæ, quia est adulteriū, & si cum religiosa, quia sacrilegium, & si cum matre, vel sorore, vel propinqua, quia incestus. Similiter quæ fornicatur, tenetur dicere, si ipsa, quæ fornicatur, est coniugata, eadem ratione.

Tertius casus est, quando ex circumstantia multiplicatur peccatum, quia etiam circumstantia, nimirum, est contra præceptum aliquod; ut qui furatur, ut adulteretur, tenetur finem exprimere, quia duo sunt peccata, furtum, & adulterium: actus enim interiores sunt manifestandi. Similiter, qui fornicatur, si religiosus est ex voto, tenetur manifestare, quia, ultra fornicationem, agit contra votum. Observandum autem maxime in omnibus, hoc idem, quod modo dicebam, esse faciendum in actibus interioribus. Vnde, qui consentit interius fornicationi, tenetur dicere, licet actus non sequatur, circumstantias, an fuerit cum coniugata, an cum virgine: vnde, isti, qui peccatum mollitiei patiuntur, proprijs se polluentes manibus, tenentur exprimere personam, quam mente concipiebant, si aliquam tenebant mente mutantem speciem; & tenentur etiam exprimere in vno actu successivè, si plures intendebat, & Confessor debet ista exigere.

Quartus est, Circumstantia, quæ secum fert excommunicationem, est exprimenda, ut qui percussit clericum, debet personam manifestare dicendo, se percussisse clericum: vel, si in tempore prohibitio sub excommunicatione aliquid fecit.

Quintus casus est, cum circumstantia est necessaria restitutioni, vel satisfactioni, annexa tertiæ personæ: vnde, qui furatus est centum, tenetur exprimere, & si mille, similiter, ut Confessor intelligat, & provideat de restitutionis modo. Extra hos casus non sunt circumstantiæ necessario exprimendæ, quamvis peccatum aggrauetur: vnde, non est opus, qui fornicatus est die dominico, aut festo, qui periurat in ecclesia, tempus, & locum confiteri, vel alias circumstantias, ultra dictas. Hæc igitur est prima conditio confessionis, ut sit integra.

Quibus

Quibus casibus confessio non integra est valida.

CAPVT VIII.

Quamuis debeat esse confessio, vniuersaliter loquendo, integra, aliqui tamen sunt casus, quibus confessio non integra est valida.

Primus est, cum quis, post sufficientem diligentiam factam, non recordatur alicuius, vel aliquorum peccatorum, & ob id non confiterur, illa talis confessio valida est, licet vere non sit integra. Dico tamen post diligentiam sufficientem, quia, qui non prius conatur peccata in memoriam reuocare, si oblitiscitur aliquorum, non est valida confessio, vt dicemus inferius: si tamen diligentia est præmissa est confessio, & consequens remissionem peccatorum, etiam quorum oblitus est. Quod si memoriæ postea occurrant, debet confiteri, vel eidem, vel alteri Sacerdori, vt liberetur, habenti tamen facultatem audiendi confessiones. Nec tenetur, si post Pascha in mentem occurrant, statim confiteri, sed potest in alium annum referre, sicut peccata post communionem commissa, vt tenet Syluester, verbo confessio. 1. §. 3.

Alius casus est, cum mors imminet: si enim infirmus non habet tempus confitendi omnia peccata, sed aliqua tantum, poterit absolui. Idem intelligendum est de eo, qui omnia peccata proferre non potest, vt mutus, qui nutu solum potest aliqua exprimere, non omnia: talis absoluendus est. Est autem hic notandum circa mortis articulum, quod vt penitus talis absoluaatur, sufficit motus, vel signum aliquod, quo peccatum aliquo modo manifestetur, vel se velle peccatorum absolutionem: non solum hoc, sed etiam si ante aduentum Confessaris petijt confessionem, illo autem adueniente iam perdidit sensum, tunc, si adstantes confirmant illum petisse confessionem, potest absolui. Ita tenet Sanct. Anton. in summ. de pecc. & Sacerdotale Romanum. Immo hoc expresse docent canones 26. quest. 6. can. 15. qui infirmitate, & can. agrotantes, de consecrat. d. 4. quicquid velit Sotus, qui id negat. 4. d. 18. quest. 2. art. 5.

Tertius casus est, quando pœnitens habet casus aliquos reseruatos superiori. Et quamuis in hoc multæ sententiæ sint Doctorum, dicam, quid probabilius tenendum. Casus, a quibus Confessarius inferior non potest absolueret, sunt in dupli-

ci disse-

ci differentia. Quidam referuati sunt ratione excommunicationis: quidam ratione ipsorum peccatorum, propter aliquam ipsorum grauitatem. Omnes conueniunt in hoc, quod cum poenitens habet aliquod peccatum referuatum cum excommunicatione, non potest ab ullo peccato absolui ab inferiore, nisi prius per superiorem ab excommunicatione liberetur.

Cum vero nulla excommunicatione est referuatum, tunc esse dico probabilius, quod vel poenitens adeat primo inferiorem, vel superiorem. Si primo inferiorem, debet omnia peccata confiteri, etiam referuata, & tunc ille inferior absolueret ab his, a quibus potest, & remittere ad superiorem, ut absolueretur a solis referuatis. Ita tenet Siluester, verbo confessio. 1. §. 20. & Soto, loco allegato, & alij. Et hoc non est dimidiare confessionem, quia facta est integra, sed potius absolutionem. Hoc dico fieri posse; tamen consilium est, prius intentare aliquam viam, puta, vel ut prius poenitens petat talē facultatē, a superiore, ut a quouis inferiore absolueretur, vel quod ipse inferior petat talē facultatē quae profecto superior debet dare, nisi id aliquando non expedire conuenienter iudicauerit. Quod si poenitens primo adeat superiorem, quis melius esset, ut omnia audiret superior, tamen si non vacat, potest tantum referuata audire, & absolueret ab his, & remittere ad inferiorem, ut a reliquis absolueretur: & talis videtur iam non integra, quamuis inferiori integrè debeat confiteri etiam referuata. Hoc tenet Soto loco allegato, Dur. 4. distinct. 17. quæst. 17. & Caietan. verbo absolutio. Hic autem aduertendum est, quod cum Episcopus, vel superior absoluit a sibi referuatis, datur gratia, qua omnia alia consequenter remittuntur. Similiter quando inferior absoluit ab ijs, a quibus potest, datur gratia, qua referuata remittuntur; sed non ob id eximitur obligatio confitendi, vel superiori referuata, vel inferiori omnia: sicut cum sola contritione datur gratia, qua peccata remittuntur; sed non ob id obligatio confessionis auferitur.

Quartus casus est, quando ex peccato aliquo, vel circumstantia manifestata in confessione, sequeretur vel poenitenti, vel Confessario, vel tertie personae damnum graue, vel in vita vel in fama, vel in pecunia, vel aliquod damnum speciale: tunc enim alius est quaerendus Confessarius, vel petenda facultas a superiore confitendi alteri: vel confiteri potest occulte, non manifestando quis sit. Quando vero nihil ex his fieri potest, confiteri debet alia peccata, tali peccato,

vel

vel tali circumstantia dissimulata, donec commode possit confiteri.

Ita tenet Nauarr. cap. 7. & Caietanus verbo confesso & Soto loco allegato, & communis sententia: quamvis aliqui velint, quod tunc est relinquenda confessio, sed probabilius reputamus quod dictum est. Exemplis declaramus. Si quis occidit fratrem Confessarij, & timet, si illi confiteatur, tale homicidium, quod statim conijciat, illud esse fratris sui, & probabiliter cognoscet, illum facturum vindictam, non teneat tale confiteri, sed dissimulare, cum non potest alteri confiteri, & instat necessitas confitendi. Rursus, commisit quis peccatum carnale, probabiliter cognoscit, quod ex illius confessione, Confessarius peccabit mortaliter, maxime si est fornicatio, quæ confitetur, quia nimirum Confessarius illam sollicitabit, debet dissimulare tale peccatum. Ita tenet etiam Silu. verbo confess. 1. §. 19.

Rursus, si cognosci Confessarium reuelatum peccatum aliquod, est etiam tacendum. Quando verò ex hoc non sequitur nisi sola infamia occulta tertiæ personæ, non autem mors, aut publica infamia, vel aliud graue malum, vel quis fornicaretur cum matre, si diceret talem circumstantiam, tunc mater diffamata esset apud Confessarium, crederem esse necessario confitendam cum Soto, Bonauen. 4. distinct. 2. & Gabriel distinct. 17. quæst. 1. concl. 3. & Siluestr. verbo confessat. 1. §. 28. quamvis Nauarr. capit. 7. oppositum teneat. Nobis tamen id non videtur; nam non est vera ratio infamiae in confessione sola, alias idem se diffamaret: cum tamen non pertinet tertia persona ad peccati poenitentis manifestationem, nullo modo est in confessione exprimenda nominatim. Illis modis, potest dici confessio non integra. Simpliciter tamen non dicitur dimidiata, sed integra, scilicet voluntate poenitentis, quia est paratus integram facere, nisi impedimentum occurreret.

Quintus casus est, cum sunt peccata venialia, vel mortalia alias confessi: nam quia ista non sunt de necessitate confessionis, potest aliquis aliquot peccata confiteri, alijs prætermittis.

D

De alijs confessionis qualitatibus.

CAPVT IX.

Confessio etiam debet esse *diligens*, id est, qui confiteri vult, debet prius diligentiam aliquam facere, vt peccata omnia in memoriam reducat. Qui enim, nulla præmissa diligentia, confessioni accederet, non est à Confessore admittendus: & si peccata aliqua ex obliuione relinqueret, quæ tamen postea subirent in memoriam, propter negligentiam, esset confessio denudò ex integro facienda. Non debet esse ista diligentia æqualis in omnibus, sed pro catione vitæ, & temporis, ex quo homo non confessus est, & pro ratione etiam memoriæ cuiusque. Vnde, qui pluribus negotijs, in quibus frequens est periculum peccandi, inuolutus est, maiorem diligentiam adhibere tenetur, quàm qui non tot negotijs inuoluitur. Similiter, qui plus temporis à confessione vacauit, quàm qui minus. Similiter, qui non tam felici memoria pollet, quàm qui facili. Rursus ista diligentia debet esse moralis, pro recto iudicio cuiusque, vt mediocri aliquod adhibeatur studium, quantum humano, & communi modo sufficiat ad peccatorum recordationem, vt ipsemet secundum rectum iudicium, quod in se est, cognoscat fecisse.

Debet etiam confessio esse *fidelis*, id est, vera.

Primo, vt pœnitens nihil neget ex his, quæ commisit, & aliquid non imponat sibi scienter ex his, quæ non commisit. Meriti enim in confessione, graue peccatum est, quamuis nõ semper sit mortale, nisi cum peccatum negatum, vel falsò affirmatum est mortale: quando verò est veniale, mendacium non est mortale, quamuis id velit Caietan. 2. 2. in materia de mendacio: sed oppositum est tenendum cum communi sententia. Non enim veniale est materia necessaria confessionis. Ang. verb. confessio §. 6. quod intellige; quando veniale non est necessaria materia confessionis, vt si nõ haberet aliud peccatum. Armilla verb. confessio. §. 5.

Debet etiam esse vera, vt, quod dubitat fecisse, cum tali dubio confiteatur, & non affirmando omninò; sicut nec, quòd certo scit fecisse, cum dubio est confitendum. Debet esse vera etiam, vt circumstantias minuentes peccatum, saltem quantum ad speciem, dicat pœnitens. Vnde, si quis vescatur carnib. diebus Quadragesimæ, propter aliquam causam excusantem à

mortali, non debet absolute in confessione dicere, se comedit se carnes tempore prohibito, nisi causam exprimat. Similiter de alijs circumstantijs aliquo modo inuenientibus peccatum, licet non mutantibus speciem, non tenetur exprimere, quoniam melius semper est, quantum exprimi potest, manifestare, cum non sit excusandi causa, sed purgandi se desiderio.

Quarta conditio confessionis est, *ut sit obedire parata*, id est, ut poenitens habeat animum, & propositum exequendi quod Confessor iudicauerit necessarium erga ipsius conscientiam, scilicet, paratus restituere tertiæ personæ, si Confessor iudicauerit: paratus etiam fugere occasiones peccatorum, & remedia acceptare, quia etiam Confessor iudicauerit. Rursus, acceptare poenitentiam, quam Confessarius iniunxerit. Et in hoc non est audiendus Caiet. verb. absol. qui tenet, quod potest poenitens non acceptare poenitentiam a Confessario, & dicere se velle eam in purgatorio à Deo accipere: sed oppositum est tenendum cum Palud. 4. d. 17. q. 2. art. 1. & cum communis sententia: tenetur enim acceptare. Nam Confessor est iudex, ut habetur Concil. Trid. sess. 4. Iudex autem poenitentem & reum potest obligare ad impositam satisfactionem. Propter hæc igitur confessio dicitur etiam obedire parata: nec est opus, quod poenitens cum isto proposito obediendi actuali veniat satis est, quod non habet contrarium propositum: tunc enim ineptus est omnino confessio, & absolutioni recipiendæ. Hæc sunt conditiones necessariae confessioni, ut valida sit.

Quibus in casibus confessio sit denudò faciendâ.

CAPVT X.

Aliquando homo talem facit confessionem, ut precepto confessionis semel in anno faciendæ non satisficiat, nisi iterum peccata confessa manifestet, imò ut confessio illa facta nulla sit. Hi autem casus multi sunt. Sumuntur autem ex parte poenitentis, ex parte Confessarii, & ex parte contritionis, vel confessionis, vel satisfactionis. Ex parte poenitentis vnus est casus, quando excommunicatus est, siue maiori, siue minori, si confessioni accedat, & absolutionem recipiat, non ablata prius excommunicatione, confessio nulla est: non enim capax est subiectum tale huius Sacramenti, ut tenet

S. Tho.

S. Tho. in 4. d. 18. q. 2. art. 5. questiuncula 1. ad 2. Tabie. verb. Absolutio. §. 10. Palud. d. 17. q. 5. art. 3. Sylu. verb. confessio. §. 6. & Sot. 4. dif. 15. q. 3. & Fumus, verb. absolutio. §. 5. quod est intelligendum de eo, qui accedit scienter, vel cum ignorantia crassa: nam si habeat ignorantiam inuincibilem iuris, vel facti, hoc est, quia vel nescit se esse excommunicatum, vel ignorat excommunicatum non posse confiteri, valida erit confessio, & verum sacramentum. ita habet Adrian. qu. 2. de confessio. Palud. d. 18. q. 4. Led. 2. p. q. 23. art. 1. & ratio est, quia Ecclesia non intendit priuare sacramento excommunicatum in huiusmodi ignorantia positum, quod patet ex c. Apostolicæ de cler. excom. min. vbi ait Papa excommunicatum celebrantem cum huiusmodi ignorantia, non incurrere poenas iuris.

Secundus casus est ex parte Confessarij, in quo sunt tres casus, in quibus confessio iteranda est.

Primus, quando Confessarius non habet facultatē, vel ordinatā, vel delegatam confitendi: tunc enim deficit iurisdictio; & in hac parte, perinde est ei confiteri ac laico: iteranda enim est confessio, nec sufficit rati habitio, id est, ante iurisdictionē confiteri cum proposito impetrādi post confessionem facultatē: hoc, inquam, non sufficit: rati habitio enim, non habet virtutem faciendi Sacramentum, quod non fuit Sacramentū. Secus si esset facultas probabilis, & tunc esset verè confessio: v. g. cum Episcopus scit aliquē audire confessiones, & non prohibet, visus est probabiliter dare facultatem, modo verò Concil. Trid. sess. 23. c. 15. statuit esse necessariam approbationem Episcopi expressam, quæ gratis, & sine pecunia danda est.

Alter casus ex parte Confessarij est, cum est excommunicatus, vel nominatus, vel publicus percussor clerici. In hoc enim casu vterque vitandus est excommunicatus: & qui confitetur vni eorum extra necessitatem extremam, tenetur iterare confessionem, cum primum scit ipsum fuisse excommunicatum: si enim ignorabat excommunicatum, non peccat accedendo, quamuis confessio sit nulla: si autem sciebat, peccat accedendo. Alios excommunicatos, vt superius diximus, non tenemur vitare, sed possumus illi confiteri, quamuis ipsi peccent audiendo confessionem: vnde, si Curati non sunt, quibus ex officio incumbit audire confessiones, vel non sunt expositi audiendis confessionibus, nullus debet extra necessitatem excommunicatum ad confessionem audiendam inuitare, vt alibi declarauimus.

Tertius casus est ex parte etiam Confessarij, cum ita est ignarus, vt nesciat inter peccatum veniale, & mortale discernere, nec conscientiam pœnitentis iudicare: Vnde, si quis confessus fuit alicui peccata sua, & postea per colloquia, vel per confessiones cognoscat ignorantiam illius Confessarij, nimirum quia quod apertè est peccatum mortale, ille putabat non fuisse peccatum, vel contra, tunc confessio esset iteranda. Et aduerte istam ignorantiam considerandam esse respectu pœnitentis in peccato mortali. Potest enim esse Confessarius aptus, & doctus respectu vnius, non tamen respectu alterius: quia hic habet casus multum difficiles, qui talis Confessarij capacitatem multum excedunt: vnde mercatores, qui sibi querunt Confessarios, qui suas negotiationes non intelligunt, necessitati obligentur, tenentur iterum confiteri, debent etiam querere Confessarios intelligentes. Similiter, iteranda esset confessio, si fuit tam ignarus Confessarius, vt debitam absolutionis formam ignorauerit: quod superioribus diebus de quadam audiuiimus, qui absoluendo dicebat, Pater noster: qui tamen fuerat confessus, cum id rescierint, tenentur iterum peccata confiteri. His modis ex parte Confessoris est iteranda confessio.

TERTIVS principalis casus est ex parte contritionis, qui triplex esse potest.

Primus, cum quis accedit sine vlllo dolore, & peccati deestimatione: confessio enim sic facta iteranda est: nec enim confessio, sed historia est.

Secundus est, cum quis accedit cum proposito non cauendi à peccato: si talis enim esset, accuset se de isto peccato. Non habet propositum vitandi peccatum aliquod, tenentur iterum confiteri, & absolutio nullo modo ei danda est cum illa dispositione, nec data aufert obligationem confitendi.

Tertius casus est, cum habet conscientiam, se non accedente contritum: peccat enim sic accipiendo absolutionem, nec valida est confessio: quod intelligendum est de attritione, que est imperfectus dolor præteriti, & imperfectum propositum futuri: nam si sit vera deestatio culpæ præteritæ, & propositum cauendi ob pœnas inferni, puto, quod licet sciat homo, se esse attritum, est vera confessio, & accedentibus hoc modo absolutio dat gratiam, vt colligitur ex Concil. Trid. sess. 13. cap. 4. Cum tamen aliquis existimat se sufficienter dispositum, qui uis non verè sit, immò quamuis sit taliter dispositus, quod non consequatur gratiam ex absolutione, immò si peccabit accedente

quando, si tamen ipse putet illam attritionem sufficiens esse, confessio non est iteranda, ut tenet Soto loco allegato. Sed cum illi constiterit male accessisse, quia dolebat de peccato, & habebat propositum, sed imperfecte, & insufficienter, tunc sufficit hoc confiteri, sed non est opus peccata iterum exprimere.

Quartus casus est ex parte confessionis: cum enim non est integra, extra illos casus superius expressos, iteranda est, siue proneniat, quia scienter occultauerit aliquid peccatum mortale, siue quia ignorabat esse mortale, tamen ignorantia nimis crassa: nam si ignorasset ex alia ignorantia excusabili, reiterare non teneretur, sed solum illud peccatum confiteri. Siue etiam oblitus fuerit, tamen obliuio processit ex eo, quod non praemisit ullam diligentiam: tunc enim tota esset iteranda, & negligentia accusanda.

Quintus casus est ex parte satisfactionis, cum quis accedit cum animo non satisfaciendi id, quod Confessor expedire iudicauerit quantum ad illa, in quibus poenitens obedire tenetur, ut diximus in capite antecedenti: tunc enim facta confessio nulla est, licet nihil Confessor praecipit faciendum; quia poenitens habebat peccatum illud, scilicet voluntatem non obediendi, quod non manifestauit: quia si manifestasset, absoluendus non erat: & confessio valida non erat, stante illo proposito, quamuis absolutio ei impenderetur, quam dare, peccatum esset graue danti, & recipienti. Nota tamen, quod si quis acceptat poenitentiam a Confessore, si postea oblitus est, non tenetur iterare confessionem, ut putat non bene Sylu. verb. confess. l. immo neque tenetur, licet nolit voluntarie implere, vel in peccato impleat, quamuis illud sit peccatum, ut tenet Nauarr. c. 9. Vnum tamen hic est aduertendum, cum iteranda est confessio, si alteri fiat Confessori, ex integro sunt omnia peccata iterum exprimenda; si vero eidem fiat, non est opus in particulari repetere, sed in communi tantum, exprimendo aliud, si superest: dummodo tamen Confessor, aut peccatorum recorderetur, aut saltem poenitentiae a se impositae, aut saltem status, & vitae hominis in communi. Cum autem nihil horum scierit, oportet iterum omnia repetere, ac si nouo confiteretur Sacerdoti. Hi sunt casus, in quibus est confessio iteranda.

De satisfactione.

CAPVT XI.

Tertia pars materiæ huius sacramenti, est satisfactio. Circa quam aliqua consideranda occurrunt.

Primum est, quid ipsa sit. Est autem satisfactio, ut in præsentem sumitur, offensæ præteritæ quoad pœnam recompensatio. In cuius declaratione aduertendum est, cum culpa remittitur in sacramento Pœnitentiæ, non semper deleti tota pœnam. Sunt enim in mortali peccato duo, scilicet macula, & creatus pœnæ æternæ. Per sacramentum generaliter abstergitur macula: per gratiæ infusio nem etiam auferitur pœna, sed non semper tota; sed manet pœna temporalis in hoc mundo, aut in purgatorio soluenda. Et hoc determinatur in Concil. Trid. sess. 4. sub Iulio 3. c. 8. Hinc fit, ut post confessionem, & absolutionem, quibus culpa quoad maculam remittitur, sequatur satisfactio.

Secundò aduertendum est tria esse, per quæ potest fieri hæc recompensatio, ut oēs communiter tenent, ieiunia, orationes, eleemosynas. Per ieiunium, non solum oportet intelligere ciborum abstinentiam, sed etiã omnia opera pœnalia corporis, & disciplinas, corporis castigationes, peregrinationes, & alia huiusmodi. Per orationes etiã, non solum meditationes, aut preces vocales, sed etiam opera spiritualia intelligimus, & missarum celebrationes, per prædicationes, lectiones, & alia huiusmodi. Per eleemosynas etiã intelligimus non tantum pœnitentiã largitiões, sed alia opera misericordiæ corporalia, ut visitare infirmos, incarceratos, consolari pupillos, & alia huiusmodi. His omnibus fit satisfactio Deo pro pœna debita peccatorum.

Tertiò aduertendū est, esse duplicem satisfactionem, alteram, quæ fit per opera imposta a Confessario pro satisfactione alteram, quæ fit per ea opera, quæ voluntariè quisq; assumit sibi. Est autem duplex discriminem inter utramque satisfactionem.

Primum est, cæteris paribus, maioris efficiaciæ est illa, quæ a Confessario imponitur, quam quæ voluntariè assumitur. V. g. ieiunas semel pro imposta pœnitentiã, maior pœna, cæteris paribus, remittitur tibi, quàm si semel voluntariè ieiunas, quia illa est ex satisfactione, quæ pars est sacramenti, & ratione sacramenti magis applicatur virtus Christi in hoc ieiunio in

posu

posito Dixi, cæteris paribus, quia tanto femore & deuotione posses illud facere voluntariū, & tam tepidè imposiū, ut plus esset quæ deuotione maiori das, quã quod ratione sacramenti.

Alterum discrimen est, satisfactio voluntaria, cum in peccato mortali fit, nihil prodest ad pœnam tunc, nec etiã quando homo cõsequitur gratiã: v. g. est in peccato mortali aliquis, & vult satisfacere pro pœnis, ad quas ex alijs peccatis remissis tenetur, verè per talia opera, nec tunc, nec post satisfaci: at verò per ea, quæ imposita sunt à Confessario, tunc, cum fiunt, non satisfacit: at verò, cum homo consequitur gratiam, illa præcedens satisfactio consequitur suum effectum, ut dicit bene Caiet. verb. satisfactio, quia erat pars sacramenti. Sacramentum autem; ut aliàs diximus, quandoq; post tempus aliquod consequitur effectum: ut fit in accedente fide. Scotus putat quod satisfacit etiam tunc, licet sit in peccato; sed oppositum est probabilius cum communi sententia: solum enim satisfacit tunc quoad confessionem, ita quod non peccat denuò non implendo pœnitentiam, nec tenetur confessionē iterare, sed non quoad Deum. Qui ergo pœnitentiam impositam implet in mortali, non tenetur illam reiterare, quia satisfacit Confessario; sed Deo non satisfacit, nisi gratia accedente.

Quartò aduertendum est, quod pœnitenti debet, & tenetur Confessarius imponere pro peccatis pœnitentiam satisfactoriam, nisi in casu, quo pœnitens non posset acceptare, & adimplere, quale est tempus mortis vrgentis, vel cum pœnitens nõ habet actuale iudiciũ in articulo mortis, sed absoluitur ex præcedenti confessione, ut diximus. Cum vero moriens tempus habet, & possibilitatē acceptandi, imponi debet, ut, si fortè vixerit, impleatur. Tenetur etiam pœnitens acceptare pœnitentiam, si iusta est à Confessario imposita, aliter non est absoluedus, ut diximus capite præcedenti. In imponenda autem pœnitentia Confessarius debet considerare grauitatem peccatorum, & ipsorum qualitatem, & personam pœnitentis. Grauitatem quidem, ut non leues pœnitentias, & pro arbitrio imponat, sed grauitatem peccatorum considerando, ut habetur in Concilio, loco allegato: qualitatem autē, ut pœnitentiã, quã fieri potest, peccatis contrariã sint: carnis peccatum, carnis maceratione castigetur: Auaritia, eleëmofynis: periuria, & blasphemia, diuinis laudibus, & maximè sacerotũ frequentatione, pro omnib. peccatis. Personam quidem pœnitentis, ut consideretur quantum persona possit exequi, & quæ: nec

enim pauperibus eleemosynas, nec famulis peregrinationes, nec etiam quæ statui, aut viribus, aut dispositioni pœnitentis repugnent, imponere debet. Quamuis autem, quantum fieri potest, satisfactio iusta, & æqualis imponi debeat, tamen multis de causis Confessor potest diminuerè pœnitentiam.

Primò, quando pœnitens accedit nimis contritus. Contritio enim grandis multum de pœna debita aufert.

Secundò, quando est tempus indulgentiæ, vel Iubilei alicuius, quod etiam remittit magnam partem pœnæ, & aliquando totam, adhuc tamen imponenda est aliqua pœnitentiâ propter consuetudinem.

Tertiò, quando pœnitens est ita imperfectus, vt timor, sibi, ipsum non acceptaturum pœnitentiâ, vel si accipit, non impleturum,

Quartò, quando pœnitens impedimentum habet, vel quia senex, vel quia debilis, vel quia alijs modis non ita potest facile tantam implere pœnitentiâ.

Quintò, quando alia via iuuantur pœnitentiâ, & satisfactio scilicet, imponendo illi omnia, quæ facturus est bona, & quæ passurus est patienter mala, loco pœnitentiæ. Est enim sciendum, quòd opera aliàs debita Deo, si imponantur à Confessario, vel si à pœnitente Deo in satisfactionem offerantur, valent ultra obligationem, cui etiam satisfaciunt. Vnde oprimo consilio, in forma absoluedi adiungitur illud, *Quicquid boni feceris & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, & in augmentum gratiæ, & premium vitæ æternæ.*

Imò quilibet benè faciet, si actus vitæ suæ bonos Deo offerat, in satisfactionem præcedentium peccatorum: tanta enim est Dei benignitas, vt opus vnum multis de causis debitum, etiam acceptet in remissionem peccatorum. Vnde posset Confessor pro pœnitentiâ imponere opera aliàs debita, vt quòd ieiunet tres dies Quadragesimæ, duos tamen tenebarur ieiunare aliàs pœnitens: nò tamen id semper est faciendū. Quando autem Confessarius absolute imponit pœnitentiâ, intelligitur de opere aliàs indebito, vt cum dicit, ieiuna duos dies, non debet esse nisi dies, in quibus non est præceptum ieiunandi; vt si dicat pœnitenti, ieiuna tali hebdomada duos dies, si ex necessitate aliqua pœnitens non potuit, debet in alia implere, vt tenet Caiet verb. satisfactio. Idè etiam de tẽpore in alijs pœnitentijs dicendū est. Aduertendum est verò, quod vnus Confessarius

non debet mutare pœnitentiã impositam ab altero sine causa: cum verò causa est, vel quando videt pœnitentem non impleuisse, & timet etiam non impleturum, vel videt pœnitenti non esse aptam, vel alia iusta de causa, potest eam commutare in aliam prout expedire melius iudicauerit, vel illam etiam minuire: nec opus est ad hoc, vt pœnitens repetat, pro quibus talem accepit pœnitentiã.

Aduerendum sextò, quòd potest vnus satisfacere pro altero: verbi gratia, in ieiunio sunt duo, vnum est meritum ieiunantis: si enim est in gratia, meretur per ieiunium. Alterum est satisfactio: nam vltra meritum, consequitur, qui ieiunat, remissionem pœnæ pro peccatis debitæ. Potest vnus pro altero ieiunare, vel alia bona opera facere, sed quòd est meriti, sibi, non alteri dare potest; quòd verò satisfactionis, alteri potest dari. Vnde vnus pro alio satisfacit, dummodo tamen uterque sit in gratia. Potest ergo Confessarius imponere pœnitentiã pœnitenti, per se, vel per alium implendam, licet non debet facere absq; rationabili causa. Quòd si Confessor non id facit, non habet pœnitens facultatem, vt quòd à se implendum est impositum, per alterum impleat, nisi necessitas sit, vt propter infirmitatē, vel impossibilitatē aliquã: semper tamē est maioris efficacis pœnitentia facta ab eodē, quia prodest ad meritum, & ad satisfactionem; facta verò ab alio, ad solam satisfactionem. Hoc tamen vnum aduerendum est, quòd pœnitentia imposita à Confessore, quamuis, vt diximus, magis prodest, quàm voluntariè assumpta, non tamen semper adhuc delet totam pœnam, sed partem aliquam, nisi tam grandis sit, vt totam auferat. Sed humana fragilitas non patitur tales pœnitentias. Ob id, meritò indulgentijs, & omnibus bonis operibus vitæ iuuamur, & adhuc in purgatorio soluenda post obitum ferimus.

De Absolutione.

CAPVT XII.

HActenus de materia tam remota, quàm propinqua Sacramenti huius loquuti sumus, sequitur, vt de eius forma non nihil dicamus. Est autem forma, *Ego te absoluo à peccatis tuis.* Nec omnia verba necessaria sunt huius formæ ad necessitatem sacramenti. Quamuis enim solum Confessarius

D d 5 dicat,

dicat, *Te absoluo*, sufficeret: tamen graue peccatum esset, ali-
quod ex illis verbis sciens et prætermittere. Solent autè aliqua
verba ex consuetudine, & decentia præmitti, vt, *Miserere mihi*
omnipotens Deus. &c.: & alia etiam postponi, vt, *Passio Domini*
nostri Iesu Christi, & merita, quæ absq; causa ab illo non sunt
prætermittenda.

Notandum tamen est.

Primò circa istam formam, non esse addenda alia verba,
præter ista prædicta, quæ sunt in communi omnium vsu. Vnde
ridendi sunt illi, qui dicunt, *Ego te absoluo ab omnibus peccatis*
confessis, contritis, & oblitis: sunt enim superflua duo verba ad-
dita, primum, & tertium: secundum autem male ponitur: nam
absolutio est peccatorum non solum contritorum, sed etiam
attritorum. Et multò magis ridendi sunt, qui cum quadam au-
ctoritate Pontificali dicunt, *Absoluo te ab omnibus peccatis con-*
fessis, & non confessis, contritis, & non contritis, oblitis, & non obli-
tis, & restituo te sanctæ Romanæ Ecclesiæ; nam omnia huiusmodi
verba ad libitum confecta, remouenda sunt à forma sacramen-
ti, quamuis addita ipsam non murent.

Notandum secundò, quòd, cum excommunicatione aliqua
teneatur pœnitens, à qua soluendus est à Confessario, prius ab-
solutio fiat ab excommunicatione, siue maiori, siue minori,
quam à peccatis absolutio impendatur: immò melius est,
ante ipsam confessionem peccatorum, absolui ab excommuni-
catione, licet non sit necessarium.

Tertiò aduertendum est, quòd absolutio non debet impedi
cum conditione, aut rati habitatione.

In cuius gratiam nota, quòd triplex conditio potest apponi
absolutioni.

Vna est de præterito, vt, *Si fecisti hoc, ego te absoluo.*

Altera est de presenti, vt, *si ita est, ego te absoluo.*

Tertia de futuro, vt, *Ego te absoluo, si hoc feceris.*

Cum verò dependens est à tertia persona, scilicet, *Ego te absol-*
uo, si Episcopus postea consenserit, sic dicitur absolutio cum rati ha-
bitione, Nulla ergo conditio est apponenda, nisi ratione dubi-
tationis, vt cum dubitat, an dederit absolutionem, potest dice-
re ratione dubij, *Si non es absolutus, ego te absoluo*: tamè alia con-
ditiones apponendæ non sunt; differenter tamen: nam si dicat
prioris apponatur, valet absolutio, stantè eoditione posita, sed
malè facit Confessarius; tamè si tertia persona ponatur, nihil va-
let. Nam effectus deberet expectare impletionem eoditionis,

quod

quod esse non potest: non enim Sacerdos potest differre effectum positæ absolutionis. Vnde Confessarius non debet talē apponere conditionem, intendendo sic conditionaliter absolvere: cum tamen conditio aliqua est ponēda, non debet esse in forma ipsa, sed debet pœnitenti iniungi, quam si recipiat, absolute est absolueudus. Immò, cum Episcopus dat facultatē absoluedi aliquem alicui Confessario, ea conditione, vt eum mittat postea ad ipsum, tunc Confessarius non debet apponere conditionem in forma, sed obligare pœnitentem, vt aseat superiorem: quòd si receperit, absolute est absolueudus. Et, si postea forte pœnitens non impleuerit, non tenetur repetere confessionem illam, sed solum confiteri illud peccatum, quòd non impleuit, quod promisit.

Quartò, aduerte non esse dandam absolutionem, nisi post impositam, & acceptam pœnitentiam. Cum tamen probabiliter scit Confessarius, pœnitentem accepturum, non est incòueniens præcedere absolutionem. Semper tamen melius est, quòd pœnitentiæ impositio præcedat, nisi Confessarij obliuio aliquando id prætermittat. Aduertendum verò, quòd semel est adhibenda absolutio in vna peccatorum confessione: quòd si multæ sint, licet sint eorundem peccatorum, multiplex potest esse absolutio. Nam eadem peccata sæpe possunt pœnitentes confiteri, & in varijs confessionibus alias etiam, & alias absolutiones recipere; & sæpe generaliter multi confiteri solent: non tamen esse debet tam assidua repetitio eorundem, vt sit iam res ridicula, præsertim cum simus tam imperfecti, vt noua numquam deficient, quæ possimus confiteri. Quòd si quis intentaret bis absolvere in eadem confessione, grauius peccaret, nullam tamen inde contraheret irregularitatem, quia talis non est expressa in iure.

De Confessario.

CAPVT XIII.

Circa Confessarium sunt consideranda duo.

Quædam, quæ ad rationem Confessarij pertinent, addèd quòd absq; eis absolutio data nulla esset.

Quædam sunt, quæ ad rectitudinē sui officij pertinēt, quamuis, ipsis prætermisissis, absolutio non impediatur. De prioribus oportet nunc tractare, quæ sunt quatuor. Ordinis

pote-

potestas non impedita, iurisdictio non impedita, proprietates scientiæ, facultas.

In primis est necessarius ordo, non quicumque, sed Sacerdotalis, vt sit Sacerdos: vnde laico, aut alium habenti ordinem absq; Sacerdotio, nulla fit confessio sacramentalis. Solent aliqui in mortis articulo, Sacerdote deficiente, laico confiteri, sed in primis ad talem confessionem nullus tenetur: potest tamen, si putat aliquam aliam consolationem ex tali manifestatione peccatorum facere, maxime in satisfactionem, & meritum, quæ ex actu illo, quo sua crimina alteri humiliter ostendit, proueniant: cum tamen nullum tale sperat, vel timeat ipsum reuelaturum, non debet confiteri; & quantum putato, melius esset, si non faceret, sed illo tempore ad Deum per contritionem se conuerteret. Quod si fiat, nullo modo laicus debet absolutionis verba impendere, & si impendat, peccat, & nihil facit quamuis non contrahat irregularitatem: potest tamen verba deprecatoria dicere. Est igitur necessaria ad Confessarium potestas ordinis.

Debet autem esse non impedita: nam suspensus ab ordine nominatim, non potest absolueri, quamuis sit Sacerdos. Similiter nec depositus, nec degradatus, nisi in mortis articulo, vt diximus lib. 1.

Necessaria est secundò iurisdictio aliqua, saltem in foro exteriori. In cuius gratiam aduerte, esse triplicem iurisditionem, ordinariam, delegatam, iure concessam. Ille habet iurisditionem ordinariam, cui ex officio incumbit animarum cura, vt Parochus, Episcopus, & alij huiusmodi. Ille verò delegatam habet, qui ex commissione eorum, quibus ex officio incumbit. Et hæc dupliciter haberi potest.

Vno modo expresse, cum ordinarius manifestè concedat alteri, vt possit confessiones audire.

Altero tacite, vt cum Episcopus, vel Curatus videns aliquem confiteri, tacet, & non prohibet, tacite iurisditionem dat. Ille verò habet iurisditionem iure concessam, qui habet confitendi facultatē ex eo, quod pœnitens habet licentiam à iure, vel à priuilegio aliquo, vel alia causa ipsum in Confessarium eligendi. ver. gra. Prælati possunt sibi Confessarios eligere, vt dicemus postea. Similiter, qui habet Apostolicum diploma. Tales Confessarij dicuntur habere iurisditionem iure concessam. Hæc iurisditiones sunt, quibus, saltem vna earum debet non areri: si enim nullam earum habet, non potest absolueri, nisi

in mor-

in mortis articulo: immò tunc Sacerdos dici posset habere iurisdictionem iure concessam aliquo modo. Extra casum tamē istum, aliqua prædictarum iurisdictionum est necessaria simpliciter ad Confessarium. Debet autem iurisdictione non esse impedita per nominatam excommunicationem, aut clerici publica percussione, aut aliquo impedimento, de quib. supra, lib. i. satis diximus.

Ultra has duas condiciones, tertia est necessaria, scilicet proprietas, ut Confessarius sit proprius pœnitenti. Ad quod sunt duæ condiciones necessariae.

Altera est, ut habeat iurisdictionem in ordine ad pœnitentem, id est, non sat est habere iurisdictionem, sed ea debet esse in ordine ad pœnitentem, ut sit ei subiectus. Qui enim habet iurisdictionem Romæ, non potest audire eos, qui sunt Mediolani, quia talis iurisdictione non extenditur ad eos: & hoc est necessarium in iurisdictione delegata, & iure concessa.

Altera est, quòd talis iurisdictione sit ordinaria in ratione officij. Talis Confessarius dicitur proprius, ceteri verò Confessarii habentes iurisdictionem delegatam, vel iure concessam non dicuntur proprii Confessarii, nisi largè sumpto vocabulo, sed dicuntur legitimi Confessarii: debet igitur Confessarius esse proprius. Hoc autem non est sic intelligendum, quasi sit necessarium confiteri proprio Sacerdoti simpliciter: potest enim quis confiteri alteri habenti iurisdictionem alijs duobus modis: sed dicitur necessarium sic, quod cum non est alius habens iurisdictionem delegatam, vel iure concessam, tenentur pœnitentes ad proprium recurrere Confessarium. Sunt autem proprii quatuor, Parochus in sua parochia, Episcopi in sua diocesi, & Archiepiscopus in diocesi etiam Episcoporum, qui ei subsumt; solo tamen tempore visitationis, ut habetur cap. vlt. de cens. lib. 6. Rursus Papa in toto mundo, & superiores Religiosorum in suis conventibus. Hi dicuntur Sacerdotes proprii, qui ex officio iurisdictionem habent. Quia verò diximus, omnes teneri proprio Sacerdoti confiteri, nisi confiteantur ei, qui ex commissione habet iurisdictionem, vel iure concessam, notare oportet, omnes Prælatos habere facultatem à iure eligendi sibi Confessarium: ob id, non est opus sollicitos esse in querendis proprijs Confessarijs Prælatorum. Ista concessio habetur à Gregor. IX. cap. pro dilatione, de pœnit. & remiss. Per Prælatos autem oportet intelligere eos, qui iurisdictionem habent etiam exteriorem, ut Episcopi, Abbates, &

supe-

superiores Religiosorum, Priores, Guardiani, Prouinciales, & cæteri, hi possunt eligere sibi Confessarium: at ante omnes ipse Papa: Cardinales verò, qui Episcopi non sunt, quia non sunt Prælati, nisi Legati sint, non habent hanc potestatem a iure: vnde Papam, vel summum pœnitentiarium habent pro confessario proprio, sicut & familia commensalis Papa: tamè ex consuetudine iam omnes solent à Pontifice habere similem licentiam; immò eorum familiæ commensales substiant ipsis, & possunt confiteri cum his, quos Cardinales signauerint, vel quibus commiserint. Aliqui affirmant, etiã Sacerdotes inter se posse mutuo confiteri, ex quadam consuetudine, tacita Episcopi, seu proprii Sacerdotis licentia: sed iam hæc opinio locum non habet: nam in Conc. Trid. sess. 23. c. 15. determinatur oppositum, ne vllus habeat auctoritatem audiendi confessionem, etiam Sacerdotum, nisi fuerit per Episcopum approbatus, & idoneus iudicatus, non obstante quacumq; consuetudine, aut priuilegio: & hoc quamuis sit regularis, nisi aliquod habeat beneficium parochiale. Debent ergò Sacerdotes suo Curato confiteri, aut alteri habenti facultatem: similiter Curatus Episcopo, vel habenti facultatem.

Sunt autem aliqui casus, in quibus potest aliquis non confiteri proprio Sacerdoti.

Primus est, quando est de licentia proprii Sacerdotis, vter confiteatur. Hoc autem aliter est intelligendum modo post Concil. Trid. quam antè intelligebatur: antè enim, de licentia Curati, poterat quis confiteri cui libet Sacerdoti idoneo, & non habenti alias iurisdictionem: poterat enim Curatus alijs suam delegare auctoritatem, & iurisdictionem: modo tamen non licet; quia nullus sine licentia Episcopi potest audire confessiones, nisi parochiale habeat beneficium. Habet ergo modo facultatem hanc Curatus, vt conferat suis subditis facultatem confitendi alijs, qui tamen per Episcopum licentiam habeant, & approbati sint, vt in aliqua saltem parochia confessionem audire possint: similiter, vt alijs Parochis confiteantur. Episcopus autem absolute potest dare licentiam subdito, vt cuius, etiam alias non habenti iurisdictionem, confiteri possit.

Secundus casus est, cum quis habet bullas, aut diplomata Apostolica, quamuis hæcenus derogata sunt præterita, quantum ad hoc: tamen si qua in posterum dantur iuxta præcedentium tenorem, tunc per ea homo habet facultatem confitendi cui libet

bet Sacerdoti apto ad confessiones audiendas, etiam nulla habita licentia ipsius proprii.

Tertius casus est, cum homines sunt vagabundi nullum habentes fixum domicilium: tales enim non vlli tenentur proprio sacerdoti confiteri, sed illi, in cuius iurisdictione sunt, quando confiteri debent. Et simile est de peregrinis & viatoribus, qui tenentur confiteri illi proprio Sacerdoti, in cuius iurisdictione sunt, tempore suscipiendi Sacramenta. Nauar. de pen. d. 6. c. placuit, nu. 80. putat vagabundos posse confessarios eligere, etiam alias non habentes iurisdictiones, quod non credo, & talis confessarius potest absolvere illos pœnitentes, etiam à casibus reseruatibus ab illorum Episcopis proprijs, nisi etiam reseruatibus sint per Episcopum loci illius, in quo tunc morantur. Ita tenet Caiet. ver. absol. c. 3. & dicit Eugenium Papam ita ore expressisse, quamuis tales viatores absq; licentia proprii Sacerdotis viam fecerint. Aliqui dicunt Episcopum loci, in quo morantur, debere à reseruatibus absolvere, si pœnitens commisit illa in loco, vbi reseruata erant: sed probabilius est, quod dicit Caiet. Idem dicendum est de Scholasticis, qui studij causa propria relinquunt domicilia. Isti enim non sui domicilij Sacerdoti proprio tenentur confiteri, sed Curato, in cuius parochia sunt.

Quartus casus est, cum quis confitetur illis, qui constituti sunt Confessarij in religionibus, quamuis absq; Episcopi approbatione. Religiosis seculares confiteri nequeunt; tamen post approbationem possent omnes illius diœcesis confiteri: & tunc nullus tenetur proprio confiteri, nec ab eo licentiam capere. Idem etiam dicendum de Pœnitentiarijs Romæ constitutis.

Quintus casus est, culpa proprii Sacerdos: cum enim ignarus est, vel sollicitator ad malum, vel reuelator confessionum, vel aliquod malum ab eo timeatur, tunc pœnitens debet petere licentiam ab eo alteri confitendi, vel à superiore, qua non obiecta, potest cuius idoneo confiteri, iuxta Siluest. ver. confess. or. 1. §. 6. Adr. q. 2. de confess. dub. 3. Palud. Ricar. Nauar. de pen. d. 6. c. placuit nu. 144. quamuis S. Thomas in Add. q. 5. art. 4. ad 3. & Soto, d. 1. 18. q. 4. art. 2. teneant contrariū, licentes esse tunc reputandum, ac si non esset copia Sacerdotis. In contrarium est ille Canon, placuit, ex Vrba. 2. vbi dicitur, quod est habendus consensus proprii sacerdotis, nisi sit ignarus. Et sub ignorantia, etiam intelligenda sunt alia similia impedimenta.

dimenta. Ob id securior est sententia prior; hoc vno addito post Conc. Trid. vt confiteatur non cuius, sed habenti facultatem aliquam confitendi. Aduertendum tamen est, non esse causam sufficientem eligendi alium a proprio, propter venturam, vel timorem, quod scilicet proprius non habeat bonam opinionem de illo.

Sextus casus est iam sæpè dictus, mortis articulus, vel periculum mortis. Tunc enim cuilibet Sacerdoti potest confiteri, vt aliàs diximus. Vnum est hic notandum, quod qui habet iurisdictionem in aliquos, potest in quacumq; diocesi illos audire, & absoluerè; potest enim suos subditos Episcopus, vel curatus cōfiteri, etiam in aliena diocesi, vt si forte ipsum committantur, vel ipsi iter facientibus occurrit, vt omnes cetera communiter.

De his, à quibus proprius Confessarius potest absoluerè.

C A P V T XIV.

Proprius Confessarius potest absoluerè ab omnibus peccatis, quantumuis grauib; nisi a superiore fuerint reseruata. Vnde Episcopus potest absoluerè ab omnibus peccatis, præter reseruata à Papa; Curatus potest absoluerè ab omnibus, exceptis reseruatis Papæ. Quod autem dico de Curato, intelligere oportet de alijs ab Episcopo constitutis, vel expressis in conuentibus Religiosorum, nisi aliquid habeant particulare priuilegium. Est enim obseruandum, cum Episcopus constituit aliquem Confessarium, non ob id dat facultatem absoluerendi à reseruatis, nisi id explicet. Similiter, cum quis habet priuilegium eligendi Confessarium; solum ab ijs potest absolui, quæ exprimit priuilegium, & bulla.

Circa casus Papæ reseruatos, id primò est considerandum communiter loquendo, nullum casum, nullumque peccatum esse Papæ reseruatum, nisi ratione alicuius censura reseruata.

Vnde sequitur primò cum Papa priuilegium dat absoluerendi à casibus Papalibus, intelligitur dare facultatem absoluerendi à censuris impediens talem absolutionem peccatorum; nam ratione harum tantum sunt Papales casus.

Sequitur

Sequitur secundo, quod ablata censura per Papam, ipsa peccata, propter quæ erant censuræ, possunt absolui à quolibet Confessario, vel Curato, nisi forte ista talia sint reseruatæ Episcopo. Nauar. in summa, cap. 27. n. 254. vult in tali casu, posse etiam à reseruatis ab Episcopo absolui; quia, cum Papa relaxat censuram, ex consuetudine auferitur reseruatio inferioris: & hoc probabile est, & fieri potest.

Circa casus reseruatos Episcopo, scito, non solum ratione censuræ aliqua reseruari, sed etiam ratione ipsorum peccatorum, nulla existente censura.

Sunt autem isti casus reseruati Episcopo in triplici differentia, quidam de iure, quidam de consuetudine communi, quidam de particulari consuetudine in proprijs Episcopatibus. De his regula certa dari non potest, quia quisq; Episcopus reseruata, quæ suo Episcopatu conuenire videntur.

Ea, quæ iure reseruantur, tria videntur esse præcipua, quamuis alij plura ponant, sed sunt incerta, nec auctores concordant.

Primum propriè inter peccata reseruata computatur, cum peccatum non sit, tamen inter reseruata est, quia ad Episcopum pertinet, pura votorum dispensatio, ommissis Papalibus, à quibus Papa solus dispensat, iuramentorum relaxatio: Irregularitatum non Papalium absolutio, & excommunicationum maiorum reseruatarum Episcopo etiam absolutio: hæc ad Episcopum pertinent.

Secundum est peccatum incendiariorum. Qui enim domos, vicos, agros dolose incendunt, excommunicandi sunt, vt dicit Caiet. ver. incendium; & si excommunicantur, ad Papam absolutio pertinet. Ante istam tamen excommunicationem, vt dicit Sylu. verb. casus, ad Episcopum pertinet absolutio, vt habetur 23. q. 8. cap. pessimam.

Tertium est peccatum graue, & scandalosum, propter quod iam penitentia publica iniungebatur, vt concubinatus notorius, peccata blasphemiarum, & alia: hæc ad Episcopum pertinent, vt loco allegato dicit Syl. quamuis alij negent, cum iam penitentia publica non sit in vsu. Potest Confessarius propter auctoritatem suam vti vtraque opinione, prout visum fuerit magis expedire aliquando: quamuis sint iam tot priuilegia Confessorum, vt pauca, aut nulla sint Episcopo reseruata. Ea autem, quæ ex communi consuetudine in omnibus Episcopatibus reseruantur, ista sunt, homicidium, aut mutilatio actualis,

crimen falsariorum, vt qui in iudicio falso iurauit contra aliquem, vel tacendo verum, vel dicendo falsum, qui etiam scripturas falsas faciunt. Non intendimus dicere de literarum Apostolicarum falsarijs: tales enim excommunicationem habent annexam. Rursum sacrilegia, aut rapina rerum Ecclesiasticarum, homicidia, vel vulnerationes in loco sacro. Rursum diuinationes, & incantationes; inuocationesque demonum. Hæc quatuor reseruata sunt ex consuetudine communi Episcopis. Aduertendum tamen est, Romanos penitentiarum inferiores omnes ex quocumque loco ad se venientes posse ab omnibus his absoluere, & ab omnibus excommunicationibus reseruatis etiam Episcopis. Possunt enim quæcumque Episcopi possunt, immò plus: possunt enim ab aliquibus excommunicationibus, ac votis absoluere, à quibus non possunt Episcopi.

De scientia confessarij.

CAPVT XV.

Vltra illas condiciones tres prædictas, quarta necessaria est confessario, nempe scientia. Hæc autem quæ futura sit, ratio ipsa naturalis dicit: cum enim confessarius iudex sit fori interioris, necessarium est, vt coram, quæ sub suo foro accidunt, peritiam habeat.

Ex quo fit, vt teneatur scire, primò, quæ mortalia sunt peccata, quæ venialia, saltem ex suo genere.

Secundò, circumstantias peccatorum necessarias.

Tertiò, casus, & excommunicationes, à quibus non possunt absoluere, peccata etiam, quæ excommunicationem habent annexam; non enim peccatum, nisi excommunicatione aboluta, absolui potest.

Quartò, quæ peccata sunt annexa restitutioni, aut furti, aut pecuniæ, aut damni illati.

Quintò, qui contractus liciti, qui illiciti, vsurarij, simoniaci, aut iniusti sint.

Sextò, quæ impedimenta sint absolutioni danda, quibus casibus confessiones præcedentes sint repetenda. Quamuis autem non sit opus hæc omnia exactè & sigillatim scire, debet tamen saltem confessarius scire dubitare, & dignoscere casus obliuiosos, & difficultatem habentes, vt possit consulere peritos secretorum non reuelata confessione, vt postea dicitur.

A dicitur

Aduertendum tamen est circa hanc prædictam scientiam, primo quod est regulanda iuxta qualitatem subditorum, & pœnitentium, quos ut plurimum talis confessarius habet cōfiteutes. Vnde fit, vt qui in villis & pagis confitentur, non teneantur tam exactè scire omnia, sicut qui in ciuitatibus. Rursus non ita tenentur confessarij simplicium ciuium, sicut mercatorum, negotiatorum, Iudicum. Debet igitur scientia maior esse pro pœnitentium qualitate.

Aduertendum secundo, esse aliquos casus, in quibus scientia cōfessarij suppleri potest, aut ferè tota, aut magna ex parte.

Primo, quando pœnitens est satis peritus, & fidelis, qui optimè conscientiam suam confessario exponet, & facienda dicit: sed iste casus non nisi in tali confessione excusat confessarium ignarum.

Secundo, quando pœnitentes ordinarij nullos habent casus difficiles.

Tertio est articulus mortis, cum alterius confessarij docti copia deest. Et idem dicendum de his, qui in terris Gentilium & Infidelium degunt, in quibus, propter confessariorum inopiam, tanta scientia non est necessaria, sed tantum debet esse mediocris.

Quarto, quando in illo loco sunt multi docti, quos cōfessarius consulere possit. Sed isti casus duo vltimi, præter mortis articulum, non excusant, vt diximus, ab aliqua mediocri sufficientia scientiæ. Cum verò ignarus est omninò confessarius, habita ratione ad pœnitentes, vt supra diximus, peccatum graue committit, si hoc officium exerceat extra mortis articulum, & confessio nulla est. Cum verò non habet sufficientem scientiam, iuxta qualitatem pœnitentium, graue est periculum, vt multis erroribus, & grauibus sacrilegijs expositus sit.

Huius scientiæ debet accedere prudentia, tam in remedijs circa peccata futura adhibendis, quam in medicina præsentium applicanda, in modo etiam tractandi pœnitētes: modò enim lauiuer, modò seuerè sunt arguendi, modò instruendi de alijs, modò ad alia incitandi.

Debet etiam sanctitas adnecti his; non quòd necessaria sit simpliciter, sed de bene esse: qui enim extra gratiam cōfessio- nis audit, peccat mortaliter, vt aliàs declarauimus, si ei de malitiam constet. Vnde sequitur, difficile esse officium hoc confessarij, & arduum: sed, si bene fiat, Deo nimis acceptum.

De sigillo obseruando à Confessario.

CAPVT XVI.

Diximus de his, quæ necessaria sunt Confessario, ita ut aliter absolutio ab eo impensa nulla sit. Nunc de alijs quæ Confessario etiam necessaria sunt, quamuis nec tanta necessitate, ut impensa absolutio impediatur. Hæc duo sunt, sigillum secreti, & examen.

Circa sigillum id primum tractandum occurrit, quid ipsum sit. Dico sigillum esse obligationem occultandi ea, quæ in confessione cognita sunt. Dicitur enim metaphoricè ista obligatio, sigillum: ut enim sigillum prohibet ea, quæ sub ipso sunt manifestari, ita obligatio: quam habet Sacerdos cælandi ea, quæ in confessione audiuit, sigillum dicitur.

Aduertendum secundò, ea, quæ cælari debent, esse peccata tam mortalia, quam venialia, peccatorum etiam circumstantias, sed differenter. Mortalia enim, nec in genere, nec in particulari sunt manifestanda: non enim dici potest, ille obsecus est mihi mortalia. Venialia autem in specie non possunt manifestari, in genere autem reuelare non est contra sigillum: nam qui confitetur, manifestè ostendit, se habere saltem venialia, aliter non esset confessio. Item defectus, qui ad famam pœnitentis pertinent, sub sigillo sunt, ut, si quis diceret se in confessione illegitimum, vel ignobilibus parentibus nati, & similia. Omnia hæc sub sigillo cadunt: reliqua tamen, quæ ad peccatum non faciunt, vel ad infamiam pœnitentis, non cadunt sub sigillo. quamuis semper Confessarius debeat cauere, ne, quod in confessione tantum audiuit, dicat, manifestando personam, cum circumstantes intelligunt illum ex confessione habuisse. Non est autem contra sigillum peccata manifestare absolute, sed ita ut pœnitens manifestetur. Vnde, qui de peccatis in confessione auditis consulunt doctos, non agunt contra sigillum; nisi ita peccata manifestent, ut possit alius facile in cognitionem pœnitentis venire. Vnde, si quis audiens aliquem in confessione surgat à loco, ut consulat doctum, qui videbat vtrumque, pœnitentem, & Confessarium, & statim reuertitur ad absoluendum coram illo, iste reuelauit confessionem. Similiter ille reuelat, qui manifestat alteri, pœnitentem habuisse aliquem casum reſeruatum: tunc enim inquit dicat illum habuisse mortale. Qui tamen diceret, se absolute

pœnitentem, non reuelat confessionem, quia non reuelat peccatum veniale in specie, vel in genere mortale, sed solum indicat, pœnitentem fuisse confessum: hoc autem non cadit sub sigillo.

Aduertendum tertio, obligationem sigilli esse tantam, vt nulla profus causa, neque etiam propter saluandam vitam propriam, nec propter salutem totius Reipublicæ, possit confessarius peccatum pœnitentis reuelare, immò neq; in alia confessione: adeoq; si Sacerdos non posset aliquod suum peccatū confiteri, nisi manifestando peccatum alterius, quod in confessione cognouit, ita vt Confessarius ille veniat in cognitionem personæ determinatæ, tunc debet silere tale peccatum, donec possit confiteri alicui, qui ignoret personam, vt tenet Syl. verb. confessio, 3, §. 8. & communis opinio.

Vnus est solus casus, in quo Confessarius potest alteri manifestare peccatum confessionis, cum nimirum id fit ex licentia & confessione pœnitentis, & tunc illi tantum poterit manifestare, scilicet, cui pœnitens dederit facultatem. Qui autem alio casu reuelat, grauissimè peccat mortaliter, atque pœnam exterioriorem incurrit, impositam in capitulo, omnis vtriusque sexus, de pœnitentia, & remissione. Quod si aliquando acciderit, Confessarium ab iniquo iudice compelli, vt reuelat, & sub iuramento, potest Confessarius dicere, se nescire tale peccatum: quamuis etenim sciat, non tamen scit vt reuelat. Vnum tamen aliquando posset accidere, vt Confessarius non tantum ex confessione sciret pœnitentis peccatum, sed etiam extra confessionem, quia forsan publicum est, vel saltem ipsi notum; & quamuis numquam possit Confessarius dicere pœnitentem confessum fuisse tale peccatum, potest tamen dicere, hominem illum tale commississe, & in iudicio illum accusare, ac si non seiuisset in confessione; dummodo nihil dicat exclusi, quæ in confessione audiuit: dummodo etiam non sequatur scandalum apud multos, qui cognouerunt fuisse illo tempore pœnitentis Confessarium, ac putabant reuelare confessionem. Similiter Iudex, qui cognoscere confitentis crimen, extra confessionem illud etiam cognosceret, non reuelat, nisi puniret ob tale crimen pœnitentem: secus autem, si extra confessionem nesciret: tunc enim non posset, Vnde Prælati, qui subditorum peccata tantum in confessione cognoscunt, pœnas publicas non debent imponere, ac si extra confessionem scirent, vt priuare dignitate, vel in exilium mittere,

vel alia simili castigatione punire, aut poena. Est autem tanta ista sigilli obligatio, vt Confessarius non possit poenitentem ipsum extra confessionem alloqui de peccatis, quae in confessione audiuit. Vnde, si acciderit Sacerdotem abstinuisse alibem male, quia verè non potuit, nempe quia velatus erat reservatus, vel tenebatur restitutioni, & Confessarius non obligauit, vel quid simile, non potest poenitentem extra confessionem dicere: sed dicunt omnes, vt adest ipsum, & dicat, precor te, vt iterum mecum confitearis, quia ego decepsi tui in confessione tua, & tunc tenetur poenitens obedire. In confessione autem tunc dicere potest impedimenta. Quod si scandalum sequatur, non debet Confessarius adire ipsum poenitentem. Et hoc idem est, si poenitens nolit repetere confessionem. Sicut autem non potest Confessarius, quod in confessione cognouit, extra eam poenitenti dicere, ita nec quod extra illius confessionem cognouit, si poenitens non dicit, tenetur dicere, sed cautè interrogare, & stare responsis eius. Aliquando nec debet interrogare, D. Ant. 3. p. tit. 15. cap. 18. §. 1. de mil. verb. confessio, §. vide Syluest. verb. confessio 3. §. 10. si poenitens inde cognoscit Confessarium non aliter scire, quam ex confessione alterius consortis in crimine; quamuis semper debeat praemonere, vt videat, si aliquid aliud commisit.

Aduertendum est quartò, multas esse personas, quae hoc sigillo teneantur. Quicumque enim mediate, vel immediate, licite, vel illicite aliquid non aliter, quam ex confessione cognouit, sigillo tenetur. Dixi, immediate, vt comprehendam ipsam Confessarium, & interpretem, cum per talem fit confessio. Dixi, mediate, vt comprehendam ipsum, cui ex licentia poenitentis reuelatur confessio. Dixi, licite, vel illicite, quia non solum tenentur sigillo, qui via licita audierunt, aut cognouerunt peccatum confessionis mediate, vel immediate, vt praefati, sed etiam, qui via illicita, siue ex parte sua, siue ex parte reuelantis. Vnde, sigillo tenentur omnes illi, qui cognouerunt peccatum, quod aliquis malus Confessarius reuelauit. Tenentur etiam illi, quibus iterum reuelauerat. Similiter, qui, dum aliquis confessus est, curiosè voluit audire peccatum poenitentis, vel casu aliquo nolens audiuit: tales enim etiam sigillo tenentur. Rursus, qui se finxit Sacerdotem, aut Confessarium, vt poenitentem posset sollicitare, vel aliquo modo seducere. Notandum etiam est, quòd non solum ex sacramentali confessione

fessione facta Sacerdoti oritur obligatio ista secreti, sed etiam
 ex facta laico ad modum sacramentalis. Rursus etiam oritur
 ex confessione sacramentali infirma, & non obtinente abso-
 lutionem, quamuis enim peccata quis sit confessus, & propter
 impedimētum aliquod non obtinuerit absolutionem, adhuc
 tamen sigillo obligatur: quamuis ille pœnitens sit hæreticus,
 & habeat animū nocendi multis, immo toti Reipublicæ, non
 potest Confessarius talis personas tertias promonere, reuelā-
 do peccatum alterius, quāuis in confuso posset in casu aliquo
 graui admonere, vt prouideant sibi, dummodò non posset
 pœnitens ex illo agnosci. Circa hoc tamen vnum est aduertē-
 dum: quamuis omnes istæ præfata personæ sigillo teneantur,
 vt absq; mortali peccato non possint reuelare peccatum, tamē
 sigillo sacramenti confessionis propriè tenentur solum hi, qui
 ex sacramentali confessione formata, vel informi peccatū cog-
 nouerunt. Alij autē qui ex confessione non sacramentali, qua-
 lis est ea, quæ facta est laico licitè audiente, vel illicitè, quia fin-
 xit Sacerdotem, tenentur quidē celare, verum non propriè
 ratione sigilli sacramentalis, veluti tenet Soroz, d. 18. q. 4. art. 5.
 quamuis etiam possit cum alijs multis probabiliter dici, in hoc
 etiam esse sigillum sacramentale, quia ad modum sacramenti
 facta fuit confessio. Illud tamen, secundum omnium senten-
 tiam, non cadit sub sigillo, quod aliqui dicunt, alijs extra con-
 fessionem, petentes ab eis, vt teneant sub sigillo confessionis.
 Quamuis enim in his seruandum sit secretum, non tamen
 id, quod sigillo debetur: hoc enim in nullo casu, sine licentia
 pœnitentis: potest manifestari alteri.

De examine faciendō à Confessario.

CAPVT XVII.

Quia non omnes pœnitentes periti sunt, nec sciunt om-
 nia, quæ ad perfectam & integram confessionem perti-
 nent, ob id, Confessarij debent ipsos examinare, & sup-
 plere, quod deficit.

Sunt ergo tria à Confessario exequenda, quædam ante con-
 fessionem, quædam in ipsa confessione, quædam verò post.
 Ante confessionem, debet statim post generalē confessionē
 pœnitentis ab ipso petere aliqua, quæ ipsam absolutionem,
 & confessionem possunt impedire, aut difficilem facere: sta-
 tim enim ista sunt petenda, ne post confessionē peccatorum,

aut in toto, aut ex maiori parte factam, cogatur pœnitens ab ipsa
absolutione recedere. Hæc autem sunt ista.

Primum est, an sciat se habere aliquam excommunicationem, aut cum aliquo excommunicato fuisse loquutum: inde enim contrahitur excommunicatio. Quod si est excommunicatus, videat Confessarius, an possit ab ea absolueret: si non potest, statim absoluat; si verò non, mittat ad eum, qui potest, ut ipse obtineat absoluendi facultatem, si potest obtinere, a superiore. Similiter petat, an habeat aliquod peccatum, quod se putet esse superiori reservatum: si enim habet, mittendus est ad superiorem, vel ab eo facultas obtineatur absolutionis: quævis, urgente necessitate, posset absolueret, & mittere pro reservato illo, ad superiorem, cum tale peccatum non habet reservatum, ut supra diximus.

Secundum est, petat, an habeat debitum aliquod, sitque in mora solutionis, siue sit pecunia restituenda, siue fama reparanda, siue votum implendum, si tale existit debitum, considerare debet Confessarius, an possit pœnitens implere: quod si non possit, sufficit propositum implendi, si vero potest, videndum est, an urgeat necessitas confessionis, & illud facile, & brevi impleri possit: tunc enim deberet prius facere, ut impleret, maxime cum restitutio est pecuniæ, aut votum dandi aliquas elemosynas. Quod si pœnitens est fidelis, & homo, cui fides probabiliter est adhibenda, sufficit propositum, quamprimum vacauerit, implendi: dum modo pœnitens non proponit simile in alia vna, aut duabus confessionibus, & illud non implauerit: tunc enim non est absoluendus: debet enim Confessarius id interrogare, an puta, in alijs confessionibus dixit illud debitum, & promiserit se facturum, & non fecit.

Tertium est, petat de statu, an solutus, an coniugatus, an Ecclesiasticus. Si solutus, examine, an promisit alicui se daturum esse uxorem, ut videat; an ex hac parte aliquod habeat impedimentum: si coniugatus est, an communem agat vitam cum vxore. Quod si non, examine, an causa sit legitima, aliter non est absoluendus, nisi saltem proponat, communem cum vxore vitam acturum. Si Ecclesiasticus est, an plura habeat beneficia. Quod si habeat, si curata sunt, cogendus est multitudinem relinquere: non enim potest nisi vnu retinere, ut habetur ex Concilio Tridentino. Et similiter tenetur residere, aliter non est absoluendus. Si verò simplicia sunt, petendum, an ex dispensatione Papæ ea habeat: aliter enim nullus plura

habe

habere potest. Quod si ita habeat, adhuc videndum est, an sint redditus immoderati pro qualitate suæ personæ, & conditione: si enim immoderati sunt, non est absolendus, nisi rectè velit dispensare. Est autem habenda ratio personæ: Nobilis enim, aut docta persona, sancta, aut de Ecclesia benemerita plures potest redditus retinere, quàm non talis. Similiter, qui bene eos expendit, vel in seruitio Ecclesiarum, vel in utilitate pauperum. Absoluendi tamen non sunt ignorantes, & nullius utilitatis viri, qui viginti, aut triginta beneficia in suâ perniciem deuorant, donec illa euomant.

Quarum est, quamdiu est, ex quo non est confessus, & si plus anno fuit, accuset se peccati transgressionis præcepti, quo in singulis annis confiteri, & communicare tenebatur: petat etiam, si fecerit sibi impositam pœnitentiam, quam si negligenter prætermisit implere, accuset se idem pœnitens talis peccati, videatq; Confessarius, an expediat illam commutare, vel relaxare. Rursus petat, si aliquod peccatum in aliqua confessione scienter occultauerit: tunc enim omnes sequentes confessiones sunt repetendæ, & peccata etiam, quæ commissa sunt in singulis, in quibus celauit, & peccata contra præceptum confessionis, quod vere non impleuit.

Quintum est, si fecit diligentiam, & examen ante, circa peccata sua: quod si non fecit, dimittendus est, vt saltem per aliquam horam faciat, plus minusuè, iuxta rationem status, & temporis, ex quo confessus non est.

Sextum est, si doleat de peccato, velletq; non offendisse Deum, proponatq; cum diuina gratia, se deinceps non peccaturum; aliter namque non est absolendus.

Septimum, an sciat fidem, & diuina mandata, quamuis non ordinata, saltem vt interrogatus de singulis articulis, & mandatis sciat respondere esse mandatum, vel articulum, quæ sunt; non aut esse, quæ non sunt. Similiter sciat Sacramentum confessionis, cui accedit, quid sibi velit, & quare fiat: oēs enim sub mortali ista tenentur scire. In quo deplorandus est abusus, & ignorantia plurimorum, qui summam inscitiam habent, non sciētes quid sit Christus, nec quid Deus, nec quæ sint mandata obseruanda, cum tamen mille astutias, & res inuiles obscuriores calleant. Tales non sunt absoluendi, quin ponatur eis grandis obligatio illa in futurum sciendi, & pro tunc, de principalibus saltem, vno verbo instruantur: aliter, eos audire in ignorantia perseverantes ego non audeam, nec vllus au-

dere debet. Hæc sunt præcipua, quæ aut ipsam peccatorum confessionem, habita ratione personarum, interroganda sunt.

De his, quæ in confessione petenda sunt.

CAPVT XVIII.

Vix potest excusari abusus, & negligentia multorum, qui confessioni accedentes, nullum peccatum manifestant, sed statim Confessario dicunt, vt interroget eorum peccata; cum tamen postea, non mediocris appareat peccatorum copia. Circa hos Confessarius sic se debet gerere, vt nullo modo interroget, quin ipsi prius ea, quæ memoria tenent, exprimant. Si enim nullam fecerunt diligentiam, audiendi non sunt: si autem fecerunt, fieri nõ potest, quin memoria teneant aliqua, de quibus se accusare possint. Confessarius autem, quia multi ignorant multa, quæ ad confessionem pertinent, debet in tali peccatorum accusatione aliqua interrogare, quando pœnitens omiserit.

Primum enim est circumstantia speciem peccati mutans, vt si pœnitens dicat, se quendam percussisse, interroget, an fuerit clericus, an laicus: nam in clerici percussione est excommunicatio maior: an in loco sacro, nec ne; illud enim sacrilegium est. Rursum, an animo occidendi; quamuis enim non occiderit, si animo occidendi percussit, peccatum est homicidij interitum. Similiter si dicit se fornicatum esse, exprimatur persona, an fuerit consanguinea, an virgo, an coniugata, an religiosa, & an in loco sacro: omnes enim hæc circumstantiæ mutant speciem peccati.

Secundum est, numerus. Interroget enim Confessarius circa singula peccata mortalia de numero, de quo supra diximus.

Tertium est, actus interior. Sæpè enim actus exteriores, aut venialia, aut leuia peccata sunt: & si actus interior confideretur, graue est peccatum, cum maxime ex erronea conscientia procedit: vt si accusat se, quod rem leuis momenti furtiuerit, petat, an tunc pœnitens existimauerit illud esse mortale: si enim ita putabat, & fecit, mortaliter peccauit. Similiter petat, quo animo rem fecerit, de qua se accusat, cum res pet se non appareat peccatum mortale.

Quantum est, petat occasiones peccatorum. In multis enim

pecca-

peccatis, maximè in carnalibus, examinandum est, an maneat occasio peccati: an, verbi gratia, habeat domi concubinam: an sit in societate eius, vnde ad peccandū prouocatur: tales enim, & similes probabiles occasiones peccandi, sunt omninò extirpanda.

Quintum est, tempus peccati. Si enim sunt peccata nimia consuetudine inueterata, & præsertim carnalia, debet Confessarius tempus illius peccati petere, & frequentiam considerare, & an tempore aliquo ante confessionem abstinuerit. In his enim vtile consilium est, cum necessitas non vrget, vel periculum non amplius confitendi, differri absolutionem, integrā audita confessione, donec appareat emēdatio aliqua. Vniuersaliter debet Confessarius vti vno generalissimo, & vtilissimo remedio pro his omnibus, scilicet frequēti confessione, & cōmunionē, non quòd imponat pœnitenti, nec obliget ipsum, sed aperiat delicti grauitatem, & periculum, & difficultatem liberandi se ab illo: similiterque dicat pœnitenti ipsi, hoc est vnum ferè remedium, vt, vel in singulis hebdomadis, vel intra singulos 15. dies, vel menses singulos Confessario accedat. Ego non te obligo, sed solum doceo, quòd tu alias facere tenens: & sic Confessarij conscientia manebit tuta: difficilè enim est profectò, rectè se gerere erga similia peccata.

Sextum est, poterit Confessarius breuitati etiam studens, cum pœnitens peccatum aliquod exprimit, quod contra aliquod præceptum est, si velit ad aliud contra distinctum præceptum transire, prius ipsum examinare in his, in quibus contra tale præceptum, vel in tali genere peccati videri probabili- ter deliquisse posse; ne ad idem cogatur post confessionem pœnitentis redire. Hæc sunt, quæ maximè in confessione videntur obseruanda.

De his, quæ post confessionem petenda sunt.

CAPVT XIX.

Postquam pœnitens ea, quæ discussit, manifestauit, poterit Confessarius aliqua petere, si forsan vel memoria exciderunt, vel ignorantia aliqua omisit.

Primum est, an aliquo malo fine fecerit: quæ enim in se bona sunt, si malo fiant fine, peccata sunt, & mortalia, iuxta finis intentionem. Qui enim conciones adit, gratia sollicitandi sc̃mi-

nas,

nas, quamuis non sollicitet postea, quia forsan non erant, peccatum est mortale. Similiter in alijs.

Secundum est, an aliqua mala voluerit committere, quos misit, quia non potuit exequi. Non enim tales voluntates excusantur à peccato, licet opus exterius non sequatur.

Tertium est, an induxerit alios secum ad peccandum. Est enim nouum peccatum, alios ad peccatum inducere; potestque Confessarius, iuxta qualitatem poenitentis, aliquibus peccatis particularibus interrogationes applicare.

Quartum est, vt discurrat per praecepta, quae à poenitente praetermissa videntur. Nec debet iterum, quae poenitens dicit, interrogare. In his tamē omnibus interrogationibus, tam quae ante, & in confessione, quam, quae post ipsam fiant, debet maximè Confessarius vti prudentia. Primum, vt personas consideret: cum enim videntur intelligentes, non est opus, vt ab eis petat, an fidei articulos sciant, vel alia, quae non videntur eis competere: nec pueros interroget ea, in quae probabiliter vident poenitentes non potuisse incurrere. Caueat etiam nimias circumspectantias peccatorum petere, maximè cum carnalia sunt, & feminas audit: prouocare enim possunt ad malum; vel in eo instruere poenitentes: sicut etiam negotiatores non sunt interrogandi multas contractuum iniquas species, ne potius male agere discant: sed attendat Confessarius ea, de quibus probabilitas aliqua est, poenitentes commisisse. Post integrum examen, & impositam poenitentiam, absolutiq; praestetur.

De Poenitente.

CAPVT XX.

Nullus ante rationis vsum accedere potest Sacramentum poenitentiae. Post vsum verò rationis, quando iam peccare contingit, omnes tenentur semel in anno confiteri, vt habetur extra c. omnis vtriusq; sexus, de poenit. & remiss. Nec est tempus in anno statutum, dummodo semel in anno fiat confessio; quamuis propter communionem, quae debet esse in Paschate, ad quam nullus cum conscientia mortalis potest accedere, nisi confessione praemissa, solet tunc obligare confessionis praecipuum: si tamen aliquis confessus esset illo anno ante Quadagesimam, nec vllum haberet mortale, non temereur de rigore confiteri, sed solum propter scien-

dalum,

dalum, & indecentiam Sanctissimi Sacramenti percipiendi. Sed præter vsum rationis est necessarium baptismum suscepisse, sine quo nullum habet valorem vllum aliud sacramentum. Rursus, confessio non debet esse peccatorum ante baptismum commissorum: hæc enim per baptismum omnino delentur, sed peccata post baptismum sola ad confessionem pertinent.

Erga, pœnitentem autem aliqua noranda sunt.

Primum est, quod ipse non tenetur sigillo confessionis, sed potest sua peccata confessa alijs manifestare: similiter etiam pœnitentiam impositam: dummodò non se infamet absque causa; similiter etiam infamet Confessarium apud alios, dum arduam aliquam pœnitentiam dicit, & tacet causam pœnitentiæ: in tali enim casu non licebit manifestare: sed hoc non est propter sigillum, sed alia causa; quia nullus se, vel alium sine causa infamare potest.

Secundum est, quod nec ipse pœnitens, tenetur confessionem suam secretam facere, imò potest peccata voce sua manifestare coram multis Confessarijs, cum non sequitur scandalum audientium, nec aliqua vera infamia. Et hoc erit, cum coram hominibus sanctis id facit: imò in necessitate urgente possunt multi simul vni confiteri, vt vnus audiat alterum, & cum periculum inest mortis, vel belli, vel subuersionis, vel alicuius similibus; potestq; Cōfessarius illos simul absolvere, vt tenet Silu. verb. Confessio 1. §. 22. Tamen extra necessitatem graue esset peccatum Sacerdotis, plurimorum simul confessiones audire. Vnde sacrilegus est abusus quorundam, qui simul multos pœnitentes audiunt, & vnus alterius cognoscit peccata.

Notandum est tertio, cum aliquid est sub opinione: sunt enim, qui dicant esse licitum contractum, sunt etiam qui dicunt esse illicitum: si casu accedit Confessarium esse opinionis eorum, qui tenent esse illicitum, & pœnitens esse licitum, potest pœnitens obligare Confessarium, vt ipsum absoluat in sua opinione, & ita debet facere Confessarius: dummodò tamen vtraque opinio sit probabilis, aliàs non: & hoc sæpè accidit in multis contractibus, de quibus contrariæ probabiles existunt opiniones, quarum vtramque, in conscientia, potest sequi Confessarius, quamuis ipse vnam illarum probet.

De effectu huius Sacramenti.

CAPVT XXI.

Effectus huius Sacramenti, remissio est culpæ, & collatio gratiæ, per quam homo fit Deo amicus. Quod si homo in gratia erat, augmentum confert gratiæ: pœnam autem totam non remittit, nisi vehemens accedat contritio, aut peccata pauca sint, sed æternam pœnam, debitam mortali, in temporalem commutat, & huius etiam partem remittit, cum peccata remissa confessioni subduntur iterum. Hæc sunt igitur, quæ ad materiam remotam in generali, & propinquam formam et iam huius sacramenti, Confessarium, pœnitentem, & effectum pertinent. Reliquum est, vt de materia remota in speciali tractemus.

Laus Deo. Finis libri Tertij.

